Aqua



Digitized by Google



Digitized by Google

CHRISTVS
TRANSFIGVRATVS
S I V E
LIBAMENTVM
BEATITATIS.

Digitized by Google



CHRISTVS TRANSFIGVRATVS siue Libamentum Beatitatis.

Authore THOMA D'AQVINO CLERICO REGVLARI



Neapoli apud Camillum Cgualum 164[illegible]

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE



BIBLIOTECA ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

EMINENT.^mo^ ET REVER.^mo^

Dom. meo Colendiss.

DON FRANCISCO

S. R. E.

CARDINALI

MONTALTO.





AD Montemaltum dedignata cellulę terminis definiri, mea hæc gestit opellula euolare. Nescit in sublimi nata vertice, nisi in

 cel-

celſiſſima rupe quieſcere: quæ calamo nigreſcit ſuo, ſole vult tuo aſpici, Eminentiſſime Princeps, ſperãs purpuram fauore Numinis, cãdore virtutum, meritorum fulgore, candidam tibi aliquando futuram. Id ſpondet mihi auita, & gentilitia magnificentia tua, qua omnibus præcipuè pauperibus faues. Spondet etiam Religionis fauor, qui lucet in templis, ac domibus religioſis viris ornatiſſimè excitatis: Conteſtantur hoc vel ipſi lapides quibus D. Andræ templum magnificentiſſimè extructum cernimus, cui ceu de gentili, ãc fraterna æde loquens acclamaret Euãgelica voce Petrus, Pau-

pe-

perum caput, & Ecclesiæ Princeps, *Bonum est, nos hic esse*. Spondet idem clarissima virtus tua, quæ in Ecclesiæ fastigio iam rutilans, nè dum vt lucerna ad domesticorum vsum inflammata; sed vt lampas fulgentissima lucet ad vrbem ad orbem totum collustrandum splendore suo. Felicitatis futuræ admonens seculum, nempè sub te patrono ingentia bona sperare posse, & petere. Nemo est, qui ad Montisalti coronidem suspiciat, qui Tè triplici corona dignũ non predicet, voueat, speret. Matheseos eruditi non fallacia signa ab astris petent, vt felicem, & fortunatam hominum genituram predicant

cant, sed Montemaltum respicient numquam animi perturbationibus asperatũ, semper serenum, compositũ, ac Principis tranquillitate dignum, ad beneficia magis quam nimbosa nubes ad largissimum profundendum imbrem paratum. Gaudebunt, certiora deprehendisse signa, quibus bona omnia hominibus presagiant in Monte, quam in astris. Aduertent Montem astris meliorem; dum in illo moribus, & meritis designatos honores, non fortuna, aut impetu cæco collatos; imò Vrbanam prorsus felicitaẽ, & prudentiam expressam, agnoscent. Ludibria artis meritò damnabit, qui non

sy

ſyderum vim, ſed merita, cernet expenſa. Satis vero ſit attigiſſe hæc calamo. Ad Religionem meam tranſeo quæ à magno Cardinale Patruo tuo, ampliſſimis ornata bonis; numquam non ſibi à Te paria non pollicetur. Quotuſquiſque noſtrum eſt in quem tù beneficia non contuleris? qui in me omnium licet minimum, multa quidem, & magna. Pro his nullas referre gratias valeo. Munuſculú Eminentiæ tuæ, ceu cuidam Numini offero, dico, conſecro. LIBAMENTVM hic tibi BEATITVDINIS appono, Tù illud veluti ſempiternæ felicitatis prænuntium, quà maximè polles benignitate accipe,

illius

Digitized by Google

illius plenitudinem,totamque satietatem capturus in Cœlo. Neapoli die Sancti Hilarij Anno Christiano. 1644.

Eminentiæ Tuæ

Seruus submissisimus.

Thomas de Aquino
Clericus Regul.

Google

PRAEFATIO
QVÆ
Lectori lucem, & finem Operis explicat.



Eccaret hominũ audacia, si futurę felicitatis imaginem pingere tentaret vmbris suis; Colores, & lumina alterna sese vice excitantia, quibus pulcherrima beatitatis forma exprimeretur, numquã dedit nostra tellus caligine, & tenebris offusa, numquam arte sua distinxit ingeniosa pictoris manus. Vtinam verba linguæ nostræ suppeterent, quibus si non aspicien-

Desunt in terra colores quibus imago æternæ felicitatis exprimatur.

cientium oculis, contemplantium saltem mentibus vita futuræ speciosissima imago exhiberetur; sed comprimit hanc audaciam oraculo suo Paulus. Audiui arcana verba, quæ non licent homini loqui. *Retundit mortalium procaciam authoritate sua Augustinus.* Immensa latitudo gaudiorum metas non habet syllabarum. *Nulli margines definire audent fluenta gaudiorum è Sede Dei, & Agni in Beatorum corda magno impetu excurrentia. Obruitur mentis humanæ cymba cum enatare tentat futuræ gloriæ vastissima maria. Latinæ facundiæ Pater ipsam beatitatis, siue beatitudinis vocem putauit desuetudine duram; tam remota ab hominum conspectu felicitatis notio erat; vt ipsum dulcissimum beatitatis nomen durum, ac ferreum ab ipso censeretur, apud quem, & vocum, & nominum fermè*

Etiam & verba.

Cicero putauit nomen beatitudinis siue beatitatis disuetudine durũ.

fermè momenta omnia deposuit Romana eloquentia. Fugit mortalium cognitionem beatitas, dedignata fortassis miserorum animos illustrare pulchritudine sua: Interclusa ignorãtiæ tenebris nostra ingenia, non possunt fulgentissimum cælestis gloriæ iubar sustinere. Ethnici quibus mẽs impia, verba tãtũ pia, errabãt felicitatẽ, quà malorum exodiũ, quà bonorũ exordiũ quærẽtes, fidum sibi proponebant portum, rectum tamen nauigationis cursum non tenentes, cæci, & auij fluctuabant incertis semitis, certo discrimine. Naufragi nullam offendebant viam, quæ ad exitum illos, non ad exitium duceret, Ipse malorum cumulus obijciebat sese larua felicitatis opertus, vt miseriores tunc faceret, quando rebantur abiecisse miserias: eò longius à felicitate recedentes, quò concitatiùs iputabant ad illam accedere. Christiani fre-

Ethnici naufragi portũ felicitatis appellare non poterant.

ni freti oraculis diuinis, & luctū, & paupertatem, & famem, & sitim, & vexationes asseuerant recta s semitas quibus certis, sed cæcis vestigijs ad beatitudinem homines ferantur. Colores tamen, & lumina, quibus beatitatis facies illucesceret mortalibus; exhibere non potuit Fides, quæ Est rerum non apparentium argumentum. *Delineauit illam Nanzianzenus in paupere spiritu, quia voluntariè pauper* inter homines versatur humanis rebus superior. *Adumbrauit eandem in tolerante famem, & sitim æquo animo, Tertullianus, quia edulij non indigus* æternitatis est candidatus. *Colorauit felicitatem in homine sustinente crucem Chrysologus aureo suo penicillo, quia* Petrus crucem inuadit; vt inde conscederet cælum. *Et rectè; nam decussatus, pedem cælo tunc fingit, quando sustinet clauatum*

Lacrymæ, paupertas persequutio, quo pacto se mitæ ad beatitatem.

Nazianzen. Orat. 1. in Iulian.

Tertull. lib. 2. contra Marc.

Chrys. ser. 135.

natum. Verum obscura hæc lumina, colores decolores, beatitatis iconem clarissima luce collustrare non poterant. A Cælo, ab astris, à Numine ipso, ab ipsa gloria claritatem emēdicauit Fides, vt Vita futura suis splendoribus, ac coloribus decorata, appareret mortalibus. Ipse Dei filius, ipsum patris lumen, lumine suo, & pigmentis venustatam, futuræ gloriæ imaginem deportauit de Cælo. Ad rupem itaquè taboream æterno numinis consilio, Angelo tubam personante; è cælo, è terris, ex inferis Legislatores, Prophetæ, Apostoli accersiti, vt visionem hactenus inuisam mortalibus, suis spectarent oculis, & æternæ vitæ icon quam natura, lumine suo, irradicare non poterat; diuinæ lampadis splendore, paucis hominibus tunc foret conspicua, quæ toti terrarum orbi in posterum futura erat exploratissima. Spectaculum

Fides, vt exprimat suis coloribus beatitudinē, colores, & lumina emendicauit à gloria.

ea

ea ratione, & in veteri, & in nouo testamento insinuatum, descriptũ, prædicatum; Prophetico eloquio, Euangelica manu, Apostolica voce; vt fideles in Christi vinea laborantes certiores futuræ mercedis forent. Ad hanc rupem, & ipse calamo meo aduolaui, vt inde lectori si non felicitatis imaginem, LIBAMENTVM saltem BEATITATIS deferrem. Historiam Christi transfigurati illustraui, libellulo hoc conclusi, quem damnatum tenebris, hac præcipuè tempestate patior lucem aspicere: cum mæstissimæ nubes asperant nostrum cælum. (heu olim quam serenum) vt intermicans futuræ gloriæ fulgor offusas caligine mortalium mentes, curuatum imminentium malorum pondere animum, spe futuræ felicitatis illustret, erigat, consoletur. Ibi expenditur cur ad Montem Apostoli accersiti? cur tribus tantum

Cur transfiguratio in veteri, & in nouo testamento inculcata.

Authoris intentio, & finis in hoc libello.

tum exhibitum gloriosum spectaculum? cur signatè Petro, Iacobo, Ioanni? Moses, & Elias cur vocati ad Tabor? quo duce? quo vectore venerint ad rupem? quæ ibi dulcissima intexta colloquia? Quis in diuinis operibus excessus? Quæ futura in cælis vita beata? Quæ pulchritudo in Christi vultu, in ore, in labijs? Quis in vestibus candor, quis splendor in vultu? Adijcio de nube vocali, de mellitissimis inde erumpentibus verbis, de æterni Parëtis erga filium amore. Ad maiorem denique libelluli ornatum, non desiderantur parerga aliqua. Ceterum tu candide lector fruere BEATITATIS LIBAMENTO, & CHRISTO TRANSFIGVRATO dum, & Magnificatum in vtero Virginis, & clarificatum in Cruce, tibi adorno.

Incerti Authoris ad Libellum.

TETRASTICHON.

PArue liber quam gratus ades! tu gaudia Cœli,
Picta olim in pulchro Numinis ore refers.
Tu renouas etiam terrarum gaudia, quando
Vrbanum terris lux dedit ista Patrem.



TRA-

Syllabus

ANNOTATIONVM

I.

TRansfigurationis promissum, nè imparati discipuli accederent, non ante sex dies adimpletū.

II.

Reseruat itē transfigurationē suā Christus in sextā diē, nè inuidiæ telis ad eā destinatos exponeret.

III.

Differtur quoque Trāsfiguratio, vt designata Apostolorum triga reddatur nobilior, magisque votorum capax.

IV.

Dei Incarnati, & hominis glorificati Analogia.
Expensio Theologica.

V.

Tam pauci ad Transfigurationis spectaculum electi, exignū indicāt prædestinatorum numerum.

VI.

Ad Beatitudinis libamentum. Cur pauperes primum vocati.

VII.

In Sanctissima Transfigurationis scena, cui debetur dignius subsellium Petro amanti, an Ioanni amato.

VIII.

Transfiguratio in Deum à virtute: in pecudes à vitijs.

IX.

Ducit labor iustorum ad gloriam, Impiorum ad pœnam.

X.

Beatitudinem Virgo etiam in hac vita delibat.

XI.

In ipsa tribulatione, iustis Beatitatis aliquod gustulum.

XII.

In secessu quies, & delibata beatitudo.

XIII.

Quis splendor in Christi vultu; Quis in vestibus candor, Expensio litteralis.

XIV.

Christi pulchritudo præcipua in vultu, in labiis, in actionibus.


XV.

Scriptum verbum, ab Incarnato candorem, lucem, & fermè, beatitatem accipit.

Car



Digitized by Google



HISTORIA TRANSFIGVRATIONIS Domini à tribus Euangelistis descripta.

Matth. 17. *Marco* 9. *Luca* 9.

Factum est autem post hæc verba, ferè dies octo, & assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Iohannē fratrem eius, & ascendit in montem, vt oraret, & ducit illos in montem excelsum seorsum solos. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius facta sunt splendentia, & candida nimis, velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. Et ecce apparuerunt illis duo viri, erāt autem Moyses & Elias, & erant loquentes cum Iesu, visi in maiestate; & dicebāt excessum

ſum eius quem completurus erat in Ieruſalem. Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant ſomno. Et euigilantes viderunt maieſtatem eius, & duos viros qui ſtabant cum illo. Et factum eſt cùm diſcederent ab illo. Reſpondens Petrus dixit ad Ieſum Domine præceptor, bonum eſt nos hic eſſe, & ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Non enim ſciebat quid diceret, erant enim timore exterriti. Hæc autem adhuc illo loquẽte, ecce facta eſt nubes lucida, & obumbrauit eos, & timuerunt; intrantibus illis in nubem. Et ecce vox facta eſt de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Et dum fieret vox, audientes diſcipuli ceciderunt in faciem

ſuam

ſuam, & timuerunt valde. Et acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere: Leuantes autem oculos ſuos, & ſtatim circumſpicientes, neminem amplius viderũt, niſi ſolum Ieſum ſecum (&) inuentus eſt Ieſus ſolus. Et deſcendentibus illis de mõte præcepit illis Ieſus, ne cuiquam quod vidiſſent, narrarent: niſi cùm filius hominis à mortuis reſurrexerit, dicens: Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat. Et ipſi tacuerunt, & verbum continuerũt apud ſe, conquirentes quid hoc eſſet, cùm à mortuis reſurrexerit; & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his quæ viderant.

EVANGELICÆ Historiæ PARAPHRASTICA Illustratio.

A *Terrena fletus valle aßumpsit Iesus Apostolos, quos ad Paradisi felicitatem libandam destinauerat.* In montem excelsum seorsum, *vt separati à cæteris propinquiores forent Cælis, quos Cælitum gloria dignabatur. Euocatur à delitiarum hor-*

to Elias; vt totus orbis Christum maiestate, & gloria fulgẽtem inspiceret; Accersitur ab inferis Moyses; *vt cũ exuti, tum induti mortalitatis exuuias diuinitatem Christi testarentnr: Et vtrique, quos completurus erat in* Ierusalem, *amantissimos admirarentur excessus. Lucida, ac benigna nubes adest, non modò vt discipulorum oculis attemperaret maiestatem vultus* Christi, *Sole ipso lucidioris; Sed, veluti triumphali curru, ad mortales æterni Parẽtis deueheret vocem, qua æterna Christi gene-*

*generatio toti Mundo clare-
sceret.*

*Petrus interea in gaudio-
rum Oceano, obrutus felici-
tatis undis, nescit quid di-
cat; dum & insularum, qui-
bus ornandus: & muneris,
quo honorandus, immemor,
& permanere in monte &
tabernacula struere, &
Christi perpetuum hospitium
ambit. Sed impingit in limi-
ne, & fermè perit; dum an-
te spinarum aculeos inter li-
lia viuere petit.*

*Nec ceteris suum defuit
naufragium. In faciem me-
ticulosi cadunt, dum tonan-
tis*

tis vocem, & tonitru refor-midant. Tangit eos beni-gnissima Christi manus, pel-litur timor, surgunt alacres, de monte descendunt. Sed illis præcipitur, ut quæ suis aspexerant luminibus, obscu-ra silentij caligine integerēt: & mysterium tunc vulga-retur, cum ex resurrectionis triūpho, tam nobilis, & ex-celsa Christi metamorphosis credibilior foret.

Google

Digitized by Google



CHRISTVS TRANSFIGVRATVS, In Monte Thabor.

SIVE

Futuræ Beatitatis libamentum.

Et post dies sex Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.

Transfigurationis promissum; ne imparati discipuli accederent, non ante sex dies adimpletum.

ANNOTAT. I.

NOn absque Mysterio est; quod Euangelista narrat, haud ante sextam diem à promissa transfiguratione Iesum in montem cum tribus discipulis ascendisse. *Post sex dies assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioan-* Matth. 16.

nem. In calce superioris capitis Christus præfatus erat; *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis, venientem in Regno suo*. Affirmat Remigius id in Transfiguratione completum. *Quod hic dicitur, impletum est in tribus Apostolis, quibus dominus, transfiguratus in monte, gaudia æterna repromissionis ostendit*. Cur igitur promissa sua Christus non implet, nisi post sextam diem? quæ hęc aligero Deo in seruandis promissis mora? Gratissima tunc sunt beneficia: quando parata: cum facilè occurrunt: vbi nulla mora est, nisi in accipientis verecundia. Cur ex ingenio suo Christus non præuenit petentis desiderium, & rogantes non occupat?

Remig.

Ad perfectionis montem itur mundi illecebris calcatis.

¶ Origenes, & Alcuinus asserũt. Neminem nisi exantlatis laboribus: nisi calcatis temporalium rerum vanitatibus ad mõtis verticem, vbi Dei gloria conspicitur, posse cõtendere. Quærit acutè Alcuinus, cur septima dies pręcipua benedictione commendetur. *Vt ostenderet (ait) sanctorum requiem post sex huius seculi ætatum laborem in æterno sabbatho, & benedicta requie quieturam; sicut dicturus est. Venite benedicti patris mei: percipite*

Alcuinus interrog. 7.

Dies septima cur sanctificata.

pite Regnum. Et ideo ille dies sine vespera legitur; quòd vltima requies Sanctorum sempiterna est. Concinit Origenes. *Quia in sex diebus totus visibilis factus est mundus: qui transcendit omnes res mundi, potest ascendere super montem excelsum, & gloriam aspicere Verbi Dei.*

Origenes.

3 Nemini in planitie constituto, patebit montis culmen. Auis, non homo, esse debet, qui perfectionis fastigia petit: Erit in volatu quies, & mors in mora, *Quando volabis, tunc requiesces.* Caueat à mundanis illecebris mystica auis, ne visco detenta, pennas ad cælestia explicare nō possit. Auis gregalis alta montium cacumina non ascendit, sed Aquila, alitū regina: Prçclarè Ambrosius, *Anima nostra, sicut Aquila, alta petat, supra nubes volet, renouatis splēdescat exuuijs: Cælo volatus suos inferat, vbi in laqueos non possit incidere. Auis, quæ descendit ex alto, vel quæ in altum extendere se non potest, frequenter aut laqueo capitur, aut fallitur visco: quibuscumque irretitur insidijs; sic anima nostra caueat ad hæc humana descendere.* Rectè itaq; assumuntur ad montem, qui repudiatis seculi bonis, iam pridem cum Petro dixerant: *Ecce nos reliquimus om-*

Mons perfectionis ascenditur mundanis calcatis.

Ambrosius de bono mortis.

Terrenorum viscum oportet excutere ex alis, vt possit quis volare.

nia, & sequuti sumus te. Euolet ad iuga montis Petrus, seculi pondere liber: sequatur Ioannes, carnis sordibus defæcatus: compleat Iacobus felicem trigam, calice tribulationis exhausto: Explicent hi pennas, à viscosis rerum humanarum inuolucris soluti, à concupiscentia carnis liberi, à superbia vitę semper immunes. Euolent ad cacumina montium, geminis alis sursum in aera librati. Egregiè Augustinus, premens illud diuinum Iobi encomium; *Simplex, ac rectus*, ait. *Omnis anima benedicta simplex non hærens rebus terrenis, nec visco implicatis pennis iacens, sed exerto nitore virtutum, geminis alis geminæ dilectionis exultat in auras liberas: & videt sibi subtractum esse, quod calcabat, non ibi incumbebat: & dicit securè: Dominus dedit, Dominus abstulit,* Contrà, seculi curis implicitus, carnalibus tricis præpeditus, nec perfectionis montem, nec fastigia virtutum, nec bonitatis coronidem speret; quin præcipitia timeat, ad vitiorum mare ruens. Hipponensis Episcopus Sanctus Augustinus ait, *Væ, qui inhæserunt transeuntibus; quia scilicet transeunt. Nonnè omnia, vt fluuius præceps currens in mare? & væ eis, qui ceciderint;*

Aug. in psal. 66.
Iob. 1.

Mundana, vt fluuius præceps in mare.

rint; quia in mare trahentur. Ergo tenere debemus omnes affectus à talibus concupiscentijs.

4 Sanctus Ambrosius, nedum hominem damnat inhærentem rebus mundanis, & caducis, sed ipsarum aspectum æquè feralem putat, ac fuit olim vxori Loth Sodomæ, & Gomorrhæ, incandescentium cælesti igne, spectaculum. Hæc dum rupem ascendere tentat, immota, lapidea absque spiritu & vita, salis simulacrum euadens, iacet ad pedem montis. Mediolanensis præsulis digna silice verba hæc. *Accepit nè respiceret retrò: ne resisteret in tota illa regione, sed in montem ascenderet. Hoc cum illi dicitur, omnibus dicitur. Si vis ergo & tu euadere, non respicias retro, sed antè. Aspice vbi Christus est. Fuge ergo Sodomam, relinque ocyùs, desere elementa huius Mundi, ne te imminentia inuoluant pericula: ne resistas fugiens, nec in tota vitiorum regione immoreris. Qui non respexit, euasit: qui respexit, non potuit euadere.* Non modò repudianda mortalibus mundi huius elementa monet Ambrosius, ne inuoluti visco pereant, sed aspectum ipsum affirmat lethalem. Expende pulcherrimam Ambrosij perorationem. *Qui non respexit,*

Terrena respiciens lapidescit.

Gen. 19.

Ambrosius de bono mortis cap. 6.

respexit, euasit: qui respexit, non potuit euadere. Mortem, & vitam fers in oculis. In eorum vel despectu, vel aspectu fatum tuum. A morte haud distas tabulæ altitudine, sed nec oculorum nictu. Heù mors iam ascendit per fenestras: nisi eas protinus claudas, perijsti. Allusio ad tranãtes flumina est, quorum caput circumagitur ad currentium aquarum vertiginem. Cadit igitur, qui labentes aquas respicit: incidit in vitia, qui ad diuitias affluentes cor apponit. Hoc prohibet magnus ille Vates, *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

Psal. 61.

5 Mortalibus rerum humanarum planities lethalis est. Id acuto dilemmate probauit Augustinus: *Ego cum amatores huius seculi intueor, nescio quando possit esse ad eorum animos opportuna Sapientia; quando enim res veluti prosperas habent, fastu respuunt salubres monitus, & quasi anilem reputant cantilenam. Quando autem in aduersis agunt, magis cogitant euadere, vnde ad præsens anguntur; quàm capere, vndè curentur: & vnde perueniant, vbi angi omninò non possint.* Desperatur morbus, quando desideratur momentum, quo ægro adhibeantur medicamina. Sapientia, quæ

Aug. Ep. 82. Abstrahendi homines à terrenarum rerum amore nullum fere tempus opportunũ.

fanat

ſanat omnia, neſcit ferme vel quando tangat venam, vel quando diſponat remedia ad ſalutem. Antequam pereat æger, perijt pene ars in medico. Acceſſus, & receſſus, ſecundus, & aduerſus ægro æquè lethalis. Saluatori non deeſt ſalus, ſed opportunum deeſt tempus infirmo, quo recipiat ſalutem.

6 Caueat faſtigia montis, qui iam pridem mundi illecebras non repudiauit. Nequit iuuenire diuina, qui humana non calcat. Remota ab hominum conſortio ſors diuina eſt. In perfectionis monte hortus verus deliciarum: ibi Chriſtus ſponſus cum anima ſponſa diuerſatur. Velo fabularum antiquitas hæc myſteria cõtegebat, Venerem nectare ebriam fingens in horto Iouis. Non fabulas, ſed veritatẽ audi ab Ambroſio, cuius ex ore ſtillat aurum: *Sponſa hortatur vt fugiat, ſponſus; quia eam ſequi poteſt, etiam ipſa terrena fugientem: dicit vt ſimilis ſit damulæ, quæ euadit de retibus; vult enim & ipſa fugere, & euolare ſupra mundum. Hinc hortum illum ſibi Plato compoſuit, quem Iouis hortum, alibi hortum mentis appellauit; in hunc introijſſe animam, quam Venerem nuncupat, vt ſe abundantia, & diuitijs*

Ambr. de bon. mortis. Supra mundum euolare debet, qui hortum deliciarum Dei vult experiri.

horti repleret, in quo repletus potu iaceret Porus, qui nectar effunderet. Heù fuge crudeles terras damula, effuge parata tibi retia. volatu supera mundum, pertinge Cælos. ibi Porus, ibi portus, vbi tutò nectare replearis.

7 At non effugies laqueos, nisi teipsum fugias. Crede hoc Petro Damiano, experientia probatissimo testi: expende quid de se dicat, occasione accepti argentei munusculi, *Postmodum ad eremum redij: Cellulam quidem festinans intraui, sed in meipsū intrare vix potui, & qui ex tra me inordinatè sum effusus, iusto iudicio in meipsum postmodum, vt ita loquar, satis difficulter ingressus.* Sui capax non est, qui secum mundi aliquid tulit. Petrus Damiauus, vt acciperet vas argēteū, pene desijt esse vas aureum, & electum. In vas argenteum effusus, nil sibi reliquit, quòad se rediret & cellulam.

Damianus ep. 17.

Extra se abit temporalib. implicitus.

8 Maiora canam. Fuge non modò te, & terras, sed Cælum, si ad montem cupis peruenire, vbi Porus ille verus, vbi Iouis hortus, vbi casta Venus, vbi adeo nectare replearis, vt cum Petro dicas. *Bonum est nos hic esse.* Rex Hebræorum magnus & terras, & cælos repudiat, vt Deum

Fugienda mundana his, qui frui volunt diuinis.

cor-

corde possideat. *Quid mihi est in Cælo: à te quid volui super terram? Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum.* Si pars mea Deus, nolo à me disiun-ctum: nihil volo vel in Cælis, vel in terris, dummodo sit semper Deus in meo corde. Sit extra meam sortem terra, sit & Cęlum; dummodo pars mea Deus, dico partem, qui totus est, qui Cælum, & terram implet, vt me compartem illi adiungam. Psal. 72.

Non modo terrena, sed etiam cælestia calcanda, pro Deo.

9 Dauid numquam dicere audet. *Exurge gloria mea*, nisi postquam cecinit. *Paratum cor meum, Deus: paratum cor meum.* Geminat apparatum, vt se Deo beanti sistat. Repudiat corporea, repudiat spiritualia, qui ad montem gloriæ tendit. Quidquid elaborauit magnus ille artifex sex diebus, contemnit, qui Deum cupit: ad quem non itur, nisi sexta elapsa die, nisi spiritalibus, & terrenis superatis. Scitè Guerricus Abbas. *Porrò inuenire est hominem quidem semel paratum, non quidem secundò si dixerit ei Deus, Eijce ancillam, & filium eius, dico autem opera carnis. Non cunctatur, si dixerit, Immola filium tuum, quem diligis, Isaac. Hoc autem patienter audire non potest, vt paternæ vtilitatis gratia specialis substinere videtur studij* Psal. 56.

Guerricus ser. 5.

detri-

detrimenta. Quid ni abijciat facilè seruus Christi quidquid ad corpoream pertinet voluptatem? at vero spirituali iucunditate æquanimiter fraudari quando aut obedientia cogit, aut fraternæ Charitatis ratio postulat. Hoc autem magnum, & Deo gratum est offerre holocaustum.

10 Eiice ancillam, mitte liberum: temporalia, & spiritualia contemne: aspernare delitias, si in rupe deliciari cum Christo gestis. Contemne analecta & micas, dum vocaris ad procoenium. Eleganter Caietanus ad illa verba: *Ego dispono vobis regnum, vt disposuit mihi pater: vt edatis, &c. Retrahit eos ab ambitione, ex præmio præparato eis in cœlesti gloria; vt non solum ex tanti temporis merito, sed ex præparato tanto excelso præmio erubescat ambire terrena.*

Caietanus.

Præmium in cælo seruatū prohibet terrenorum ambitionem.

11 Meritò Christus Dominus perennis beatitatis illicio pignora sua auellit à terrenis affectibus. Non enim alio pacto expungimur à terrenis, quàm spe cælestium. Ita S. Augustinus. *Amor temporalis, & temporalium rerum non expugnatur, nisi aliqua suauitate cælestium.*

August.

Et

Et post sex dies assumpsit Iesum Petrum, & Ia cobum, & Ioannem.

Reseruat item Transfigurationem suam Christus in sextam diem, nè inuidiæ telis ad eam destinatos exponeret.

ANNOTAT. II.

CHrysostomi sententiam æquè, ac illam Origenis sequutus reuoco ad examen, cur non statim promissa sua compleat Christus, sed differat ad sextam vsque diem. Verba & rationem ex tanto authore huc tibi sisto, *Ideo non confestim facta promissione eos sursũ ducit, sed post sex dies, vt re-* Chrys.

vt reliqui discipuli nihil patiantur humanum. 1. *aliquem inuidiæ motum.* Hem ad cacumina montium pertingunt inuidiæ tela! nec libata beatitas ab his Christi discipulos eximet! Numen ferme timet, ne illita venenis iacula suos confodiant. Tutus est mons Olympus à procellarum turbine, non tutus mons Thaborinus à liuore inuidiæ.

13 At immeritò futurus cæterorum liuor in Sanctissimam hanc trigam; cum & ipsi fastigijs dignitatum, Apostolatus culmine, præsulatu, patrandi miracula facultate insigniti. Post tot igitur beneficia diuinæ effecti consortes naturæ, ad humanos affectus, perturbationesque reuocandi? Qui, vt dij agunt, patientur humana? Quos Christus à cæteris, fermè vt Deos ab hominibus, segregat: *Vos autem quem me esse dicitis,* (vt rectè Sanctus Hieronymus aduertit), *ex textu sermonis Apostoli non homines, sed dij appellantur,* liuore inuidiæ infecti sustinebunt humana? Rectè tamen sentit Sanctus Chrysostomus, quia inuidia gratiam malè refert: turbat mentem, cæcat lumina, detracta sibi putat, quæ dantur alteri: beneficia esse negat, quorum alter est parti-

Matt. 16. Hieronymus

Apostoli, dij, appellantur.

Inuidiæ effectus.

participeps.

14 Id etiam Chrysologus frugi, & praui filij exemplo innuit. *Inuidus animus gratus esse non potest patri, & paternæ largitatis memor non est, qui fraternæ est immemor Charitatis. Hædum sibi datum negat, qui substantiæ partem totam tempore diuisionis accepit, Euangelista dicente, diuisit substantiam. Sed inuidus simulat semper: mentitur inuidus semper.* ò ingratitudinem! ò cæcitatem! Præcipua patris substantia partita liberis ex armentis, & gregibus constabat: tamen negat inuidus vnum recepisse hædum, qui tot greges erat, & tot armenta sortitus. Sed cæcæ inuidiæ tribuendum, quòd beneficia accepisse vel neget, vel nesciat. Benè igitur protrahuntur beneficia, ne cæteri patiantur aliquod humanum.

Chrysologus serm. 4.

Inuidi typus frater filij prodigi.

15 Adde, quòd non humana, sed inhumana patiatur inuidus; dum hoc liuore ex parte Natura sauciatur, & Vrbanitas perit tota. Quare meritò inuidum carpit Ambrosius, vt rusticũ, & de villa remeantem; *Ideo notatur hic frater vsque adeo, vt de villa venire dicatur, hoc est: terrenis operibus occupatus, ignorans quæ Dei sunt.* Nescit inuidus, quæ aulam Cælestem

Inuidi rusticitas & inurbanitas.

Ambros. lib. 7. in hoc cap. 15.

de-

deceant; cum de villa veniat rerum temporalium.

Chrysolog. serm. 4.

16 Eleganter Chrysologus inuidum nè dum morum, sed ingenij rudem affirmat, dùm officiosiùs cum tellure se habeat, quàm cum anima.

Inuidus plures facit terram, quam materiam humanam.

Erat, ait, *in agro terram percolens, se deserens: duritiem soluit cespitis, perdurat affectus: sentes eradicat, & gramina, stimulos inuidiæ non euellit: sic in segete cupiditatis fructum zeli colligit, & liuoris.* O facinus inhumanum! qui terrā colit, frumēta serit: animam, & virtutes, in humanæ naturæ dedecus, deserit. Pluris gramen, quàm à Deo inditam animam pendimus.

17 Inuidiæ ingenium acutè explicat Chrysostomus, dum affirmat, quòd patitur humanum, hoc est inhumana sustinet. Inuidus naturæ ordinem inuertit, factus sui carnifex: probitatis gladio se confodiens; quod enim alijs est bonum sibi malum existimat: gaudium aliorum, domi suę tristitiam parit. Elegantissima similitudine id totum magnus ille Basilius illustrauit.

Inuidus ordinem inuertit.

Basil. hom. de inuidia.

Quemadmodum rubigo ferrum: sic inuidia eos, qui eam possident, consumit, atque vastat. Fera atque ferrea viscera inuidiæ, vermem, quo consumuntur, alunt. Id pla-

Inuidia se ipsum consumit.

planiùs, & pleniùs ostendit exemplo viperæ idem author. *Sicut viperas dicunt abrupto matris ventre nasci: sic & inuidia concipientem se animam corrodere scilicet, ac tabefacere solet; est enim inuidia dolor de proximi prosperitate, ac felici rerum successu conceptus.* Patitur tum potissimum inuidus, discerpens se dilaniansque, cum exultat, & gaudet alter. Rectè, vt morbum, vt pestem, vt luem, vt impietatem immanem detestatur Basilius Magnus; cum vitam perimat, naturam temeret, Deum contaminet. Cælis, terris, Deo, homini pestifera lues. *Quid hoc morbo perniciosius?* ait magnus ille Doctor, *interitus vitæ, pestis naturæ, aduersa omnibus bonis à Deo venientibus: demum ipsum ipsi Deo contraria.* Verè inuidus conclamatus totius naturæ humanæ hostis. Inuidus omnium hostis.

18 Sanctus Amprosius cum frugi filio loquens, qui hædum optabat in epulum, scenam eleganti scommate in inuidum dirigit: sic illum pungens, *Inuidus hædum quærit: innocens agnum pro se desiderat.* Inuidus, vti suas sibi delicias vindicat inferni Symbola: vt satur sit, non curat à sinistris esse: petit quod horret natura: sortem hædorum ambit, decretoria die Ambrosius.

die experturus consortium. Vel, si placet, dicam. Inuidus Numinis sacrificia inuertit: respuit quæ placãt: optat quę Dei lacessunt iram, Agnus, qui tollit peccata mundi, non hædus Deo sacrificandus. Idem Ambrosius. *Non pro inuidia, sed pro venia agnus est immolatus.* Peccat igitur Inuidus in naturam humanam, & in illius authorem.

19 Verum Deus, cuius consilia & cultum Inuidus tentat inuertere, illum plectens, ætatem, mentem, consilia, naturam ipsius inuertit. Ætatem, cum inuidus senescat illico. Sanctus Ambrosius, expendens cur dicatur, *senior*, qui erat penè puer, & sub patria potestate, ait, *Ideo senior dicitur, quòd citò aliquis per inuidiam consenescat.* Intestinus hic liuor canos accersiuit: præcipitauit iuuentam in senium.

S. Ambros. Luc. 15.

Inuidus citò senescit.

20 Inuersę mẽtis, & consilij Iosephi fratres probati experientia testes sint. De his hæc Sanctus Basilius. *Ex diuina contigit prouidentia, vt astutia illorum inuerteretur; per eam enim, quibus impedire diuinum consilium putauerant, paulò post illud ad exitum deduxerunt, ac promouerunt.* Idem de Saule in Dauid: de dæmone in hominem:

Basil.

minem:

minem: de Pharisæis in Christum dici potest; Consilia Dei, Abyssus multa! Ea arte à Deo inuertuntur inuidorum consilia, vt in eos propria detorqueantur arma: vt de Elephante, belluarum fortissima, affirmat Iob. *Qui fecit eum, applicabit gladium eius*. Gladium fert inuidus, non vt perimat hostem, sed vt se confodiat. Perit interdum miser non inimici ferro, sed eius risu, & sui derisu. Iob.40.

21 Demum humana natura in inuido deprauatur: malum alterius sibi existimans bonum, bonum malum: tenebras lucem, lucem tenebras. quod sex dierum spatio elaborauit, distinxitque Sapiens ille Artifex, hora vna turbat, ac peruertit insanus hic liuor, miscens cuncta: ad infaustum chaos reuocans omnia. Naturæ decus in symmetria positum horret: musici concentus hostis ferus, quod naturæ deprauatæ, ex Aristotelis sententia, est indicium. De Inuidia hæc Chrysologus. *Fugat Symphoniam pietatis: choros charitatis excludit: & quem venire ad fatrem vocat ratio naturæ, hunc peruenire Zelus non sinit, non patitur liuor introire*. Heu inuidiam, pietatis, charitatis, fraternita-

Inuidia tota naturam peruenit.

Chrysologus

tis, naturæ totius inimicam! Tygridem crudelem inuidus imitatur. Hæc dilaniat se, & discerpit ad cantum: & quò dulcior ad aures sonus, eò sæuior ad sui laniatum illa. Inspice id totum in inuidis Pharisæis, cruciantibus se ex puerorum dulcissimis uocibus, Christi prçconia canentium, vt notauit scitè Sanctus Chrysostomus. *Sacerdotes hoc modo concitati sunt erga Christum, dicentes: Audis quid isti dicunt? Pueri loquebantur Prophetis consona.* En tibi dulcis sonus: *viri autem insipientia, & insania plena.* En tigres, belluæ insanæ, sæua animalia.

Matt. 21.

Chrysostom.

22 Hinc meritò Basilius inuidos carpens. *Quam bestiam immanitate morum non superat inuidus? quod animal tam agreste, vt feritate non vincat? Canes namque educatione mansuescunt: Leones obsequio tractabiles fiunt: inuidi tantùm officio agrestiores euadunt.* Leopardi erant, qui inclytum Martvrem Ignatium cruciabant, quorum encomia referens ille, aiebat, *Pugno cum bestijs: quibus cum benefeceris peiores fiunt.* Hæc communis proborum omnium cum inuidis pugna est.

Basil.

Inuidus feris efferatior.

23 Siquando non omnino exuisse humanitatem videatur inuidus, quia

Inuidus luporum imitator.

socìale

ſociale animal ſe oſtendit,hoc gerit, vt crudeliùs ſæuiat: lupos imitatus; qui ſe in ordinem ſocietatemque, cogunt, vt oues opportuniùs dilacerent: ſic illi accedunt cæteris, vt ſæuiant immaniùs. Sacer author teſtatur Phariſæos Ioannis ſe adiunxiſſe diſcipulis. *Accesserunt Phariſæi diſcipulis Ioannis, dicentes. Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter:diſcipuli autem tui non ieiunant?* Sed hanc inuidorum ſocietatem, & ſanctum fœdus obſtupeſcit Chryſologus.*Et cum diſcipulis Ioannis quæ ſocietas Phariſæis?* Scitè ſubdit rationem. *Non niſi, quia iunxerat inuidia, quos diſiunxerat diſciplina.* Inuidia iungit, vt diſiungat: vnit, vt ſeparet: dummodo noceat, nullam reſpuit diſciplinā; quia ſumma illi diſciplina eſt, nocere omnibus.

Matth. 3.

Chryſologus ſerm. 31.

24 Chriſtus itaque Dominus elegit ſua retardare promiſſa; nè cæteri ad pulcherrimum ſpectaculum non vocati, inuidia puncti, humanum quid paterentur,hoc eſt, non vocati ad Cælum, relinquerentur in cœno: non delibantes gloriam, haberent inferorum arrham,quam in inuidia reperit Baſilius: cuius verba hic pro coronide pono.*Fugia-*

Basil. homil. de inuidia. *mus ergo, fratres, intolerabile malum: serpentis idest præceptum, Diaboli inuentum punitionis Arrhabo,* Inu. dia, inferni arrhaba. *pietatis impedimentum, via ad gehennam, Regni Calorum priuatio.* Expende in vno facinore quot crimina, quorum omnium discipuli, sex dierum facta morula, redduntur immunes.



Post

Post dies sex assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem.

Differtur quoque transfiguratio, vt designata Apostolorum triga reddatur nobilior, magisque votorum capax.

ANNOTAT. III.

25 MIrum sanè, quòd differat Christus promissa sua ad sextam vsque diem, cum Apostoli spectaculum in orbe terrarum ad illud tempus nunquam visum, Patriarchis, & Prophetis desideratissimum, anhelarent. Si esuriunt panem Angelorum Cælites, cur non mortales & Apostoli, Christi amantissimi Regem Regum in decore suo videre non desiderabit vniuersa terra? Theophylactus affirmat ex Apostolis hos præcipuè electos. *Quia Petrus amabat, Ioannes amabatur: Iacobus* (quod eodē recidit) *plurima erat, pro Christo perpessurus*. Si amat, & Theophilactus.



amatur Christus, cur amantium votis non occurrit festinus? Differre amicorum desideria, deferre illis exitium est. Vbi detecta viscera, nil contectum finit amor.

26 Verùm non minor cura versabat Christi pectus detegendi arcana, quàm Apostolos ea videndi desiderium. Tale enim interdùm est Numinis ingenium, vt quod ardentissimè cupit (humano more loquor) vultu ad seueritatem composito, graui & demisso supercilio conferat; sanctè dissimulans dare, quod dandi desiderio penè flagrat. Id totum ex parabola hominis, ab amico importunè petentis panem, scitè colligit Sanctus Chrysologus. Amicus, quamuis improbitatem petentis exprobret: incommoda obijciat, quæ perpessurus foret ipse puerique sui; tamen ex his, quæ ibi narrantur, patet non minus fuisse vni in tribuendo promptitudinem, quàm alteri in petendo importunitatem. Quid enim tam auritum amicum fecit, vt intempesta nocte vocem primus omnium audiret? cur cubile strauit in ianua; nisi vt quolibet, siue diei, siue noctis momento petentis exciperet vota, & quærentis postulata

Deus sanctè simulat se negare, quæ optat concedere.

lata præueniret? *O quàm dare vult*, ait Sanctus Chrysologus, *qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari! O quàm pulsanti iste gestiuit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsam collocauit ad ianuam! O quàm necessitatis esse suæ, quod suæ potestatis est, vult videri! O quàm negare noluit, qui sibi, etiam roganti, qualiter extorqueretur ostendit: qui dormientibus seruis pulsantis necessitatem solus, & primus audiuit?* Quod dare cupit negat, vt in verborum acrimonia, summam inuolueret liberalitatem: cubile ad ianuam stratum detegit, quod texerat verborum asperitas. Facta vocaliora verbis amico fortassis fuere. Chrysol. ser. 36.

27 Cæterùm sanctè dissimulat Christus ad tempus dare, vt dulciùs expetita, vel desiderio comparata sapiant. Aqua, quam tanta difficultate ex duro lapide elicuit Moyses, meritò, aqua contradictionis nominata; dum non vltrò fluxit, sed semel atque iterum virga percutiente, obmurmurantibus Hebræis, obnitente Aaron è petra expressa est: quàm dulcis Moysi! quàm suauis Hebręorum populo! indè illi nomen suaue mellis, *E petra melle saturauit eos*. Desiderata diù aqua in dulcedi- Exod. 17 Psalm. 8. Dilata dulcior Dilata dulciora cur vt mel euadit.

nem mellis transiuit. Ita Chrysostomus. *Ex petra melle saturauit eos. Atqui hoc nusquam in scriptura lectum est, quòd mel de petra Moyses eduxerit, sed vbique fluuios, & aquas, & frigida fluenta. Quid igitur tandem est, quod dicitur? neque enim scriptura mentitur: postquam enim sitientes, & indigentia defatigati, frigidioribus aquis inciderunt, ex potu voluptatem asserere volens, aquam appellauit mel: non tamquam mutata in mel natura, sed bibentium dispositione fluenta illa melle dulciora faciente.* Vilescit dulcedo, cui præcedens amaritudo non ancillatur: ab hac pretium illi, & valor: imò interdum & nomen est. Ex amariore cortice aliquando dulcior in pomis medulla. Gloriæ suæ fluenta Christus ostensurus, voluit è petra scaturientia. Hinc post sextam diem, post prærupta montis superata fastigia, post tot labores, assumpti ad visionem speciosissimam; vt dulciùs illis saperet beatitatis vnda.

Chrysostom. hom. 2. ad populum. Psal. 8. Exod. 17.

28 Secundò, vt feruentiores & gratiæ capaciores redderentur ex desiderio. Quò respexit Chrysostomus. *Post sex dies sursum ducit, vt bonum dierum spatio vehementiori concupiscentia repleti, qui assumendi erant sollicita*

Chrysost. Gloriæ visio differtur: vt Apostoli reddantur feruentiores.

licita mente ascenderent; Habet iam diuina, qui ea sollicitè cupit. Ignitum desiderium alatum est, & ima despicit; gratiarum enim capaciores ex desiderio efficimur. Acutè exemplo vasculi Augustinus. *Tota vita boni Christiani secundum desiderium est: quod autem desideras, nondum vides, sed desiderando capax efficeris: vt cum venerit, quod videas, implearis: Sicut enim si velis implere aliquem sinum, & nosti, quod magnum est, quod dabitur, ostendis sinum vel sacci, vel vestis; & si vides, quod angustus est, extendendo facis capaciorem: sic Deus differendo extendit desiderium: desiderando extendit animum, & extendendo facit capaciorem. Desideremus, fratres, quia implendi sumus. Quàm desiderare oportet, quod solum satiare potest totum hominem! Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Angusta vasa non merentur augusta dona. Nescit parua dare, qui in omnibus magnus est: dum differt promissa: dum dies protrahit, ex desiderio laxantur viscera ad accipienda maiora: quarè munera sua, pro sinu & vasorum capacitate, Deus distribuens, anhelare vult Apostolos in munera, vt largiatur diuina.

August. in epistol. in Ioann.

29 Differt tandem promissa Christus,

stus, vt non minùs assumptione ad montem, quàm dilatione gratiæ, hãc discipulorũ trigã cæteris præstãtiorẽ, & nobiliorẽ ostenderet mũdo. Ita Chrysost. *Hos assumit, quia alÿs potiores erant.* Dilatione enim diffundebatur magis, magisque per orbem huius sanctissimæ trigæ nomen: ex diuino more, quo dilatione clarescit magis beneficiorũ honor. Id ita esse experire operà & factis. Ambigit Chrysost. cur Deus non Saræ fertili, ac iuueni, sed seniculæ, & effœtæ promiserit, stirpem, quæ foret terram ingentem, & latifundia possessura. Respondet. *Si statim successores dedisset, non tam clara apud omnes fuisset virtus iusti; vt scias, quia non solum Deus benefacere vult, & dona sua dare, sed solitus sit sua beneficia accepturos facere clariores.* Clariores vtique non modò, quia sanctitati parentum dabatur, quod, reluctante natura, senicula parturiret; sed etiam maturata dona digniorem ostenderent matronam, cui conferebantur; non enim impetu quodam tribuuntur beneficia cælestia, sed meritis, ac dignitate recipientis expensa. Par enim temporis spatium impendit numen in mundo struen-

Chrysost. hom: 38. in Gen.

Iustus bonorum sibi promissorum dilatione clarescit.

do,

do, ac in assumendis ad montem discipulis; vt ostenderet æque ac mundum æstimasse collatum illis beneficium.

30 Adde qui patienter præstolatur diuina, nobilitate donatur: vt de Cananæa affirmat idem Chrysostomus; *Vide quomodo hoc etiam in Cananæa faciat, & idcirco cessat & differt; vt non solum petitiones illius exaudiat: sed vt ipsam in toto orbe nobilem faciat.* Par erat, vt de finibus egressam suis, nulla confinia cogerent; sed tributa illi à Deo nobilitas per totum diffunderetur orbem. Non sedili gaudet, quæ egressa, post Christum ambulat, sed per omnes mundi partes claritas illius inundat. Vbique est nobilis: vbique præconijs celebrata. Ex patientia, & ex Cruce parta Christiana nobilitas vbique illustris est vbique gaudet.

Chrysost. ibi.

Matt. 15.

Nobilitas eius cuius bona differuntur.

31 Expende itaque Dei opera, quo pacto in nostrum cedant commodum. Differt promissa Christus, capaciores, nobilioresq; nos reddit: complet, statque promissis, beatos, nos facit. Meritò potiorem cæteris, felicissimam hanc trigam dicit Chrysostomus, & mora nobilem, & fauore beatam:

Dei

Assumpsit.
Dei Incarnati, & Hominis glorificati Analogia.

Expensio Theologica.

ANNOTAT. IV.

Thabor & Nazaret comparantur.

32 EAdem dulcissima resonant cantica Mons Thaborinus, & Aula Nazaræna, vbi Augustissimum Incarnationis Mysteriũ peractum est. Vtrobique in Dei laudem effusa carmina audiuntur, & fermè proportionibus suis ad idem dimensa metrum duo Mysteria, Dei Incarnatio, iustorum glorificatio concinunt. *Assumpsit* verbum naturam humanam. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Expressum electorum, hoc est, pusillorum Symbolum, vtrobique auditur. *Assumpsit.* Hac vtuntur voce Theologi, vt propria, ad explicandum Incarnationis Mysterium: Hac Euangelistæ, vt exprimant gloriæ symbolum. Cur igitur vtrisque eadem vox, & loquendi formula?

33 An quia assumptione carnis ad Verbum adstruitur fides? Vnde Augustinus. *Filius homine assumpto constituit, atque fundauit fidem* Assumptione ad montem firmatur charitas, vnde beatitudo incipit; quare hunc montem appellat Caietanus, *gloriæ prælibationem*. Quis negabit fidem, & charitatem suauiter eadem notæ concinere? An quia natura humana in domo Nazaræna assumitur à verbo, In Cælis mens humana ab essentia diuina: ibi vt vniat hypostaticè, illic intelligibiliter: Ibi vt hominem faciat Deum, illic vt homo fiat Deiformis. Quò enim pacto purum actum homo attinget, firmo illo cùm Theologorum, tum Philosophorum effato, *Modus cognoscendi consequitur modum essendi*. Vt enim caro euehitur ab vnione hypostatica ad Dei consortium: sic mens humana, roborata lumiue gloriæ, ad Dei visionem. Vtraque enim his instrumentis effertur ad diuina: sic purum actum mens humana cognoscit, & cognoscendo Deiformis euadit. Meritò Augustinus ad rem nostram, illustrans verba Regij vatis, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*, de beatitate loquens, ait: *Mens humana perit, & fit diuina*. Non perit,

Aug. de Ciu. Dei lib. 11. Fides Incarnatione fundatur.

Thabor, gloriæ prælibatio.

Caiet.

Aug. Psal. 35.

perit, quianatura consentaneo, & vitali actu supremum illud obiectũ non attingit: sed perit,& fit diuina; quia diuino illustrata lumine, ea intuetur, quæ impossibilia forent humana, vel angelica mente percipi, nisi Deus, non, vt naturæ author,sed,vt gloriæ opifex, mentem ad tam excelsa eleuaret fastigia, vt valeat ipsum numen de facie cognoscere. Mens itaque humana,sensibili assueta obiecto, implexa materiæ, grauata corpore, non actus, sed potentia, dum actum purum videt, dum deum attingit, perijsse dicitur,effecta diuina. Ideo non tantum transfiguratum legimus Christum Dominum, sed Moysi, & Eliæ transformatos vultus, vt Origenes, Hieronymus, Augustinus, Euthymius hic contestati suut, & hoc vt perijsse eorum mentem scias, transformatam in diuinam. Assumitur mens itaque ad diuina, dum eleuatur ad gloriam. Consonant igitur vterque Chorus Thaborinus, & Nazarænus in sublimi tono. *Assumpsit*, audi symphoniam Augustinianam. *Nisi homo fieret Deus, non saluaretur, & glorificaretur homo reus.* Sed age, aurem propiùs, & animum admoue ad Eccle-

Natura humana intuẽdo Deum fit diuina.

Origenes homi. 6. in Leu.
Hieron.
Augustinus.
Euthym.

siasti-

ſiaſticam melodiam.

35 In Eccleſiæ choro, cuius figura mons hic Thaborinus, quatuor canentium reſonant dulciſſimæ voces, quæ intonant. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem*: nimirum, Scriptura, Canones, Patres, Theologi. *Aſſumpſit*. Cantant, vt demonſtrent ſupra humanam, & creatam facultatem eſſe, Deum clarè videre. Hoc & ſcriptura ſacra firmat, & Canones adſtruunt, & Patres affirmant, & Theologi concordi voce canunt. O ſuauiſſimam melodiam! ò nobilem chorum! ſublimiorem tonum ſcripturæ damus: inferiorem Patribus, & Theologis: mediũ ſacris Canonibus; vt vndequaque ſuauis concentus ad Chriſtianas aures reſonet.

Thabor figura Eccleſiæ.

35 Ex hoc tamen Sanctiſſimo Choro extrudo Anomæos, negantes aſſumendum hominem ad Thaborinum montem ad Deum aſpiciendum. Naturalis facultas, inquiunt, ad claram Dei viſionem ſat eſt: nulla aſſumptione, nullo monte opus homini: vltrò ſe illi Deus reuelat, nullo præuio auxilio indiget, cum videndum Deus vltrò ſe offerat. ſufficit lumen, quod menti humanæ natura indidit,

Anomæorũ error de viſione Dei.

vt

vt eandem ad beatitatem extollat. Hem quis iste stridor? quæ hæc dissonantia ad Christianas aures? A Scriptura, a Canonibus, a Patribus, à Theologis hi dissonant. Isa. *Oculus non videt Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te*. Paulus, *Lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum videt, sed nec videre potest*. Idem. *Gratia Dei, vita æterna*. Huiusmodi oracula in scriptura sacra resonant sexcenta, à quibus discordare absonum est. Sudant Theologi, vt explicent quonam pacto maximum, ac beatificum obiectum à Sanctis gratia gloriaque cumulatis possit attingi: & hoc Anomæi naturæ viribus vltrò tribuunt, affirmantes hominem naturali præditum facultate, posse Deum intueri clarè, illumque de facie cognoscere. Hem, stridulas has & nocturnas aues à monte, vbi Christi vultus, sole lucidior, splendet, expelle, & fuga.

Isai. 64. 1. Thim. 6. Rom. 6.

36 Dissonat præterea, quamuis non extra chorum, & Thaborinum Montem Durandus; cuius cantus minimè ad aurem, & concentum Theologorum. Dum negat beatum assumi debere ad montem & ad lumen gloriæ, vt Deum clarè videat. Non extra chorum

Durandi opinio expenditur.

chorum canit,nec ab Ecclesia omninò dissonat: nescio quæ obstacula,atque repungula somniat:quibus superatis,videri Deus possit.opus lumine gloriæ homini non est,ait; cum à natura sit illi indita virtus,atque facultas Deum videndi clarè : non aliud desideratur auxilium , quàm ablata impedimenta, nimirum, sensuum vsus:& detur cognitio menti, absque organorum lenocinio. Deus præsens adest,& intimè in homine:quid opus habitu : quid gloriæ lumine,vt clarè videatur ? Hæc Durandi dura ac ferrea vox Theologorum aures diuerberat:parum abest,quin ex choro deturbem cantorem, cum contra Canones cecinisse appareat. Fallor, ni referam verba à Pontifice in Beguardos,& Beguinas vibrata,quibus hic error sugillatur . *Quod qualibet natura intellectualis,in se ipsa naturaliter est beata. Quodque anima non indiget lumine gloriæ , ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* Hos errores Clementina damnat . Discordaret vtique à fide Durandus, sub his,quę Ecclesia decernit,omninò dissonaret. Verum vox eius non tam dissonans auditur ; quia aliquo pacto Dei auxiliarem dexteram exigit, Clementin. ad nostrum de heret.


exigit, quamuis necessarium esse lumen gloriæ neget: perperam canit, discordat, errat; à tono tamen assumptionis, & à fastigio Montis non diffidet omninò.

37 Scotus dui iusculè canit: strepitus musicorum aures lædit; cum visionem, nō ab humano intellectu, sed à Deo produci putet: & ne ab hismet naturæ principijs discordare videatur; censet ad intelligendum sat esse, vt potentia vitalis, actum, quamuis non elieiat recipiat. Nominalibus solennis est hic philosophandi modus: & quamuis vox videatur esse & nomen: reapsè tamen interdum dissonat à cæteris Philosophis: & ipse à Scoto dissentio, qui naturæ consentaneum operandi modū in suprema, ac nobilissima operatione denegat. Haud nobiscū sentiāt alij, qui claritatis, & luminis gloriæ confundunt habitus, in ipso lumine cæcutientes; cū à cōi sensu, & schola dissentiant, in nostrum chorum illos ægrè admittimus. Assumitur itaque in montem, ad domini vultum speculandum intellectus, lumine gloriæ roboratus: visionis actum, quem elicit, in eadem potentia recipit. Haud nouam dispositionem damus

Censura in opinionem Scoti.

ad

ad gloriç lumen ipſum diſpoſitio eſt. Proceſſum in infinitum deteſtor: diſpoſitionem diſpoſitioni non adijcio. Mens itaque humana, adiuta lumine gloriæ quamuis immixta potentiæ, actum purum attinget exatiantem intellectum. De hoc Regius Vates. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Ps.16. Numini gratiæ infinitæ debentur, quòd hominem ſcribit in libro vitæ: quòd ad Thaborinum montem aſſumat: quòd gloria æterna coronet.



Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem.

Tam pauci ad transfigurationis spectaculum electi, exiguum indicant prædestinatorum numerum.

ANNOTAT. V.

Cur tres tantùm Apostoli in montem vocati.

38 CVr ad tã nobile spectaculũ: ad tã augustam scenã non totus euocatur terrarũ orbis? cur nõ accersũtur è remotissimis plagis peritiores homines, Sanctiores viri, illustriores principes? cur non adsciscitur totus Apostolorum senatus? Petro tãtum, Iacobo, & Ioanni illa panditur scena, quæ illustriorem nullam mundus aspexit, nec aspiciet. Vbi personati sunt Moyses; veteris Testaméti, quasi columen: Elias, Monachorũ, & Eremitarum pater: & quod caput est, nõ in seruili schemate, sed in Regio apparatu ipse Christus cõuenit: Vbi suprema, sãctaq; Trias; si nõ aspicitur, auditur: vbi vicẽ proscenij mons gerit;

rit: Pro ornatu Christi vestes, niue ipsa candidiores: Pro funalibus scenam noctu illuminantibus, Christi vultus sole lucidior. Cur igitur tam nobilis repræsentatio tribus tantùm Apostolis detegitur?

39 An quia cum prędestinatorũ exhibeatur symbolum, congruebat paucissimos adesse spectatores; cum pusillus sit futurus electorum numerus? & sicut è quatuor mundi partibus vix vna saluabitur: sic ex duodecim Apostolis tres dumtaxat accersuntur ad montem. An vt significetur, quòd, sicuti per semitam salebrosam ascenditur ad montis fastigium: sic per arctam viam peruenitur ad gloriam, & pauci sunt, qui angustam portam contendunt intrare. Quod adeò Regio vati fuit exploratũ, vt prædestinatis, ab illorum paucitate fecerit nomen. Quo sensu Agellius ex graui authore verba Dauidica illustrat. *Domine à paucis des terra*, Præclarè Cosmus Indeplestus, quem citat Agellius. *Paucos de terra*, inquit, *eos qui saluantur, vocat, vt innuat quàm pauci saluantur. Ab his precatur hostes diuidi, adhuc viuentes: nimirum improbos homines, nè conuersatione sua simpliciores lædant.*

Prædestinatorum numerus exiguus.

Psal. 16.

Cosmas Indicus.

Agellius.

 40 Sed

40 Sed non miror, quòd electi dicuntur pauci compositi ad totum reproborum gregem, Ethnicorum, Schismaticorum, Hæreticorum, sed quod comparati ad Christianos, & ad Eccsesiam (hanc enim præfigurabat illustris ille Apostolorum senatus) vix, ex asse triens, ad gloriam eligatur. Fateor: id me terret. Nam

Matth. 3. 12. Joannes Baptista affirmat ex Christiana messe pauca grana apponenda principis mensæ: igni comburendas paleas, quæ granis erunt multò plures. Iudex Christus ventilabrũ in manu sua habet: permundat areã: triticum congregat in horreum: Paleas igni inextinguibili adiudicat. A facie iudiciorum Dei quis nõ timebit!

41 Bono tamen animo Religiosos esse iubeo, qui vota numini nuncuparunt, ac paupertate, castitate, obedientia fideliter Deo inseruiunt: omnes fermè saluos puto: non tantũ qui innocuam, & à peccatorum labe defæcatam vitam viuunt, verùm & qui in aliqua inciderunt crimina, modò religiosum habitum, sanctãq; cellam, criminum pœnitentes, non abiecerint. Faustum omen religiosis viris (diuina fretus misericordia) au-

A cella ad Cælum facilis transitus.

gu-

guror. Neminem à cella ad inferos: ferè omnes ad Cælum euolaturos. Cælatos habet numen in cellis, quos cælis destinauit. Cellæ amatores, cādidati Cælorum sunt; vt obeant cælestia munera, prensant assiduè cælites, in cella se exercent cælorum tyrones; vt militiæ cælesti à supremo Duce aggregētur. Huius placiti authores, magnum hominum par Bernardum, & Bonauenturam hùc sisto, iisdem verbis in eandem sententiam euntes, *Moriens vix aliquis vnquam à cella ad inferos descendit, quia vix vnquam, nisi Cælo prædestinatus, in ea vsque ad mortem persistit.*

Bern. serm. ad Fratres de monte Dei. Bonau. pha. l.4. c.3.

42. Post religiosos viros saluandos puto, qui assiduè cælesti pane se reficiunt, & Dominicæ mensæ assident. Ea est sacramētalis cœnæ cum gloriosa cognatio, vt qui Deum in hac gustauerit, in illa ab vbertate domus Dei inebrietur, Audi Episcopū Rauennatem egregiè philosophantem, *Christiane, qui se hic manducandū dedit, quid suum tibi denegare poterit in futurum? & qui tantum tibi viaticum parauit ad victum, quid tibi in mansione illa perpetua non parauit? Manducabitis in mensa mea, in regno meo. Audisti Dei conuiuium? sollicitus non sis*

Eucharistiā frequentans dignus Cęlo

Chrysol. ser. 95.

de qualitate conuiuij. Qui peruenire regis meretur ad mensam, manducabit quidquid regni dominatio possidet, & potestas: qui ad conuiuium venerit Saluatoris, habebit in delitijs suis quidquid continet creatura. Stillant sanè aurum Chrysologi verba. Mira vnio vtriusque cœnæ: vna ab altera tantum velo discriminatur, reuela albedinem & species sacramentales, mensa ecclesiastica facta est cælestis: viaticũ, præmium: via, terminus: cibus viatorum, panis Angelorum; Vtriusque conuiuij nexum idem Chrysologus similitudine prægustantis, & gustantis cœnam grafficè his verbis explicat. *Post cæleste regnum* (ait) *panem quis postulat quotidianum: sed quotidianum, & in diem vult nos Sacramentum sui corporis panem viaticum postulare; cum per hoc ad perpetuum diem, & ipsam Christi perueniamus ad mensam: vt vnde hic gustum sumpsimus, inde ibi plenitudinem, totasque satietates capiamus.* A pane Eucharistico tibi gloria erit: ab hoc latice manant fluenta gloriæ. Contra, reprobationis explorati ssimum argumentum est sanctissimam hanc Cœnam fastidire. Redeat idem Chrysologus. *Cuius domus* (ait) *non intrauerit Christus, ille ad di-*

Chrysol. ser. 68.

Eucharistiã non frequentare reprobationis est signum. Chrysologus ser. 54.

uinam

uinam non peruenit mansionem, & cuius nec ad mensam sederit Christus, ille cælestem non accumbet ad mensam. Poterit nè qui cibum salutis stomachatur, saluus esse? qui panem vitæ respuit, perpetuò viuere? Moneo tamen, hanc nactus occasionem, accedentes ad Eucharisticam cœnam, illamque frequentantes cum Augustino. *Cum in Christi corpore vita nostra consistat, mutet vitam, qui vult accipere vitam.* Aug. serm. do temp.

43 Post illos qui assiduè suauissimum panem suscipiunt, læti ac hilares accedant, qui confessioni sacramentali operam nauant? Paradisi semitam Sacramētum pœnitentiæ esse affirmat Sapiens Idiota. *Da, Domine Iesu Christe, misericordiam misero, qui tandiù pepercisti criminoso: Inclina ad remedium humilitatis pœnitentis, quem prouocare non potuit diuturnitas peccatoris. Dirige pedes meos in viam pacis, per quam ingrediar viam tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis, & confessionis: quia confessio est via, per quam regredior ab inimico, & redeo ad te: via, quam te iuuante sequar: & cum tuis Sanctis laudes, & gratias referam, & securè viuam per infinita secula seculorum.* Quæ via

Confessionis frequentia salutis signũ.

Idiot. de vit. cur. cap. 10.

ex-

explorata foret petendi patriam, si per hanc esset dubium ad illam iter? Si qua securitas, vt aiunt, moralis est peccatori ad diuinam se rediјsse gratiam hanc vnam à sacramentali confessione habemus, cum iubet Numē, vt nostra detegamus scelera, tunc paratum se ostendit vt detecta condonet. Alcuinus petit cur Moses silentio inuoluit Angelorum piaculum, cum illud hominis prolixè descripserit. Respondet faustum homini fuisse hoc omen; nam Deus peccata quæ detegit parcit: quæ tegit punit, Accipe aurea Alcuini verba, *Quia Angelorum vulnus Deus nō prædestinauit curare: hominis vulnus sanare prædestinauit.* Prædestinationis indicium peccatorũ manifestatio est: via & iter ad vitam. Adde Confessionem delictorum non viam solùm, sed ianuam Paradisi; vnà enim & concreditæ Petro cælorum claues, & data absoluendi à peccatis omnibus potestas. *Introite portas eius in confessione: atria eius in hymnis confitemini illi.* Liceat ad exomologesim trahere, quod de diuina laude canit Propheta. Porta cæli confessio est: peccata si struis, descendis ad inferos; si destruis, ascendis ad Cælos.

Alcuin. inter. 3. in Genesim. Angelorum lapsus præteritur: Hominis autem narratur in Genesi. Cur?

Confessio ianua paradisi

Psal. 99.

Con-

Cõtrita ſcelera Paradiſi gradus sũt. Parum dixi: Cælorum ſunt fidiſſima ianua, ſi Petri claue recludantur. ſtatim ac tua confiteris peccata, tibi reſeratur porta Cæli: ſecurus intrabis. *Introite portas eius;* ſed *in cõfeſſione.*

44 Caueant tamen ex Sanctiſſimæ Virginis Thereſiæ monito peccatores, ne malè ſibi à ſacramentali confeſſione conſulant; qui enim non deteſtatur crimina, à Sacerdote fœdior, quàm iuit, redibit. Verba Thereſiæ humanum genus è Cælo monentis hæc. *Inuehantur concionatores præcipuè in malè actos confeſſiones; quia tentationes, quibus magis dæmon hiſce temporibus vrget, & impellit complures ad inferos, ipſamet malè actæ cõfeſſiones ſunt: venena in medicamine parantes.* Heù datum nobis iter ad Cælum inuertimus ad Orcum, & quod bonis eſt iter, prauis eſt exterminium. Tandem pro huius notationis coronide ſoluenda hæc obiectio erit.

In malè cõfitentes inuectiua.

S. Thereſia.

45 Cur Deus tam paucos prædeſtinare voluerit, ingentia & ſumma bona tribus tantummodo parans, cũ diuinam prouidentiã deceat, vt quæ perfectiora qualitate ſunt, plura etiã ſint numero. D. Thomas ait. *Operatio Dei eſt perfectior, quàm operatio natu-*

Cur plures damnentur quam ſaluentur,

D. Thom. 1. p. q. 23. ar. 7.

ræ;

ræ; sed in operatione bonum inuenitur, vt in pluribus: defectus, vt in paucioribus. Igitur plures deberent esse saluandi, quam damnandi. Inductione dicta patent: Plures ex hominibus videntes, quam cæci: plures benè gradientes, quàm claudi: plures rationis cõpotes, quàm expertes. Idem de cæteris, cum natura perfecta amet, & à peccatis abhorreat: Peccaret illa, si deficientes multiplicaret, minueret perfectos. Rectè ad hæc omnia Doctor Sanctus. *Bonum quod proportionatum communi statui naturæ accidit, vt in pluribus, & deficit ab hoc bono, vt in paucioribus: cũ igitur beatitudo æterna, in visione Dei consistens excedat cõmunem statum naturæ, & præcipuè secundum quod est gratia, destituta per corruptionem peccati originalis, pauciores sunt qui saluantur.* Ex exiguo numero eximium immensumque collige beneficium, *& in hoc,* ait Sanctus Doctor, *maximè apparet beneficium, quòd aliquos in illam salutem erigit, à qua plurimi deficiunt secundùm communem cursum, & inclinationem naturæ.* Nauigamus aduerso flumine: nil mirum si appellunt ad portum pauci.

Assumpsit Petrum, Iacobũ, & Ioannem.

Ad Beatitudinis libamentum. Cur pauperes primum vocati.

ANNOTAT. VI.

46 INter electos ad diuinum spectaculum Petrus omnium censetur primus, quia cum ipse cæteris prior abdicasset se temporalibus, illicò raptus est ad cælestia; qui enim à cœno isto sponte vacat, statim cælo repletur. Præclarè Ambrosius, expendens Petri verba ad claudum sedentem ad Speciosam portam Tẽpli *Quod autem habeo hoc tibi do*, ait, *Reliquisti omnia Petre: vndè habes quod habere te dicis? Surgit claudus, & sono tui sermonis erigitur: sanitatẽ alijs donas, qui indigebas ipse tuæ salutis auxilio; reliquisti ergo quæ habebas, & cepisti, quæ non habebas. Christi tibi portio, Christus tibi possessio est. Illius nomen tibi munificum: illius nomen tibi est fructuosum: illius nomen tibi tributa dependit, & bona tributa non pecuniæ, sed gra-*

Pauperes statim ad Cęlũ rapiuntur.

Actorum 8. Ambros. ser. 8. in ps. 118.

gratiæ. Auro & argento renuncians Petrus, & Iesu possidet nomen; & numen euadit: naturæ dat legem: claudum surgere iubet, & ambulare. Non nudum possidet nomen, qui numen munificum habet, quod contempta natura gratiam elargitur.

47 Verum si terrena repudiantē, spā nomen; quamuis munificum, in hac valle lacrimarum gloriæ desiderium capiat; Aspiret iste ad illam, euolet ad Christū, & qui in illius nomine mira patrauit in terris numine ipso perfruatur in cælis. Bernardus de pennis argentatis Dauidicæ columbæ loquens, ait. *Magna quidem penna est paupertas, qua citò euolatur ad Regnum Cælorum: nam in aliis virtutibus, quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur: Paupertati non tam promittitur, quàm datur: Vnde in præsenti tempore enunciatum est: quoniam ipsorum est Regnum Cælorū, cū in cæteris, dicatur hereditabunt, cōsolabuntur*. Tabernacula Cedar, pelles Salomonis, paupertas: si eam aspicis, misera; si inspicis, beata est. Pennas considera, quibus rapitur ad cælum, non pœnas, quibus cruciatur in terris.

Paupertas ala, quæ tollit in cælum

Bernard. ser. 4. de Aduen.

48 Petro itaque bonis omnibus

se

ſe abdicanti non differtur gloria post vitam, ſed apponitur hic guſtanda: aſpicit Chriſtum in monte glorioſum, & clamat, *Domine bonum eſt nos hic eſſe*, delibat beatitatem, glorìatur ſe cælos tenere: vt ſummæ felicitatis dominus, tabernacula ſuo modo, ſuoque arbitratu deſcribit. Pauperes Regnum cęlorum non intrant tanquam ſerui; ſed vt domini, ac benefici Principes. Perſtringit pauperes Sanctus Bernardus, quod non verè pauperes, cum non læti, ſed triſtes paupertatem amplexentur; nulla enim triſtitia decet Cælorum dominos. *Videmus*, ait, *pauperes aliquos, qui ſi verè haberent paupertatem, non adeò puſillanimes viderentur, & triſtes; vtpote Reges, & Reges Cæli.*

Pauper cælorum dominus.

Bernardus.

49 Pauper, vt Dominus euolat ad Regnum ſuum, paupertate ſibi emptum: Sanctus Auguſtinus ait, *Pauper beatitudinem emit mendicitate*. Diuites ſarcinis graues ad montem feſtinare non poſſunt: qui paupertatis iugo ſubmiſit colla, contendit abſque ſarcinis, curſu propero dimiſſis manibus ad cęlorum dominiũ peruenire, *Tollite iugum meum ſuper vos.* Iugum accommodatum non beſtiarum ceruici, ſed hominum, &

Auguſt.

Paupertas beatitudinis pretium.

Matth. 11.

An-

Angelorum collis: iugum non aggrauans, sed reficiens portantem. *Venite ad me oẽs, qui laborati & onerati estis ego reficiã vos*. Sed qua refectione imponitur iugũ paupertatis? *Tollite iugum meum super vos; iugum enim meum suaue est, & onus leue*, Non vt iugum diuitum graue. Audi Sanctũ Bernardum in verba illa: *ecce nos reliquimus omnia*, notantem quàm temerè se gesserit, qui vt iuga quinque bouũ emeret, respuit paratum sibi à principe procœnium. *Pone*, inquit, *grauissimam sarcinam: pone asinariam molam, terrenam molem: pone illa quinque no hominum planè iuga, sed bouum, quæ tibi insipienter emisti: Alioqui sequi sponsum, & venire ad nuptias spirituales non poteris; si hora nouissima veneris, & pulsaueris, minimè profectò tibi aperietur, sed respondebitur deintus, quòd non sit de bobus, & de asinis cæterisque iumentis insipientibus cura Deo*. Peccatis grauis, terrenis diuitijs obrutus, mõtem superare non poteris. Abrenũtia illis, & in mõte iam eris: Christum illicò gloriosum videbis; aliàs oneratus sub pondere cades, vt Damianus ait, *Nec Christum possumus sequi, nisi omnia relinquamus, quia exultat, vt gigas, ad currendam viam*.

Paupertatis iugũ quale.

Bernardus.

Damian. homil. 9.

One-

Oneratus eum sequi non potest; nemo enim cum sarcinis enatat, ait ille disciplinæ secularis orator. Iusta Hieremiæ oraculum sepultura asini sepelietur, in valle stabit, sine spe gloriosi montis diuitiarum cupidus.

50 Contra verò pauper, Cælorũ princeps. Cælos intrat, portatus ab Angelis. Sanctus Chrysostomus ait. *Mortuus est pauper: portabatur in humeris Angelorum, nè saltem ambulans laboraret. Portabatur, & portabatur ab Angelis: non suffecerat ad portandum vnus: sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant: & portatur ab Angelis; gaudet vnusquisque Angelorum tantum onus tangere: libenter talibus oneribus pergrauatur.* Reuerentur paupertatẽ Angeli; quia sub paupertatis specie latet Christus. Angelorũ ferme Sacramẽtum paupertatis: gestiũt tangere paupertatẽ Angeli; quia tangunt cælatũ sub paupertate numen. Quod aspicere in Cælis desiderant, tangunt in terris: inaccessibile lumen iam vident Seraphim: nec opus habent vt velent faciem: temperatum velo paupertatis suauissimè intuentur; & portant Deum: ambiunt ferre onus cælites, quod, & in sua, & in aliena forma dominatur Cælis.

Chrysostom. Luc. 16.

Paupertas Angelorum sacramentũ.

51 Ingreditur itaque pauper cælorum Regnum, regiis infulis adornatus, dum gestatur ab Angelis: intrat succollatus procerum humeris, gestatoria sella baiulatus Rex: Choris cælitum ac militia Paradisi stipatus, regiam suam æternum possessurus intrat. Sed tot illi obsequia, & honores, quia Princeps, quia cum Cælorum numine tanta necessitudine coniunctus est, vt Deus, vel in se pauperem transfudisse, vel se in pauperem infudisse videatur. Audi Sanctum Petrum Chrysol. illustrantem verba Christi, *Esuriui, & dedistis mihi manducare. Quòd se Deus amore pauperis sic deponat, vt non adsit pauperi, sed sit ipse pauper, hoc cui videre dederit, Deus ipse videt; sed quomodo, aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit: dicat ipse iam nobis. Esuriui,* inquit, *& dedistis mihi mãducare, Non dixit: esuriuit pauper, & dedistis illi manducare; sed esuriui ego, & dedistis manducare mihi: sibi datum clamat, quod pauper acceperit, so manducare dicit quod comederit pauper: quod bibit pauper sibi testatur infusum*: Ista effusio, vel infusio in paupertate magnũ indicat mysterium, & admirabile Sacramentum, vix Angelis cognitũ.

Chrysol. ser. 14.
Matth. 25.
Christi in pauperem infusio, & transfusio.

Affirmat Chrysologus quod in Cælis primæ sedes, & nobiliora præmia pauperem manent. Abraham, Noemus, Moyses, ipsemet Petrus, quà crucifixus, à paupere in Cęlesti Regno superatur. *Nimis est*, ait, Chrysologus. *quod sapit Deo pauperis cibus: qui totius Creaturæ bona non esurit, saginatum se in esca pauperis protestatur in Regno Cælorum coram omnibus Angelis in conuentu resurgentium. Quòd Abel passus sit: quòd seruauit mundum Noe: quòd Abraham fidem suscepit: quòd Moses legem tulit: quòd Petrũ crucem suscipiens ascendit, tacet: & hoc clamat solum, quod comedit pauper. In Cælo prima est esurientis annona: prima stipendia pauperis tractantur in Cælo: erogatio pauperis prima diuinis scribitur in diurnis. Beatus cuius nomen toties à Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur* in cælo. Et alibi in magnũ paupertatis encomium illam appellat diuinam. *Cessa homo operibus tuis: sufficit tibi diuina paupertas.*

Pauperibus, primæ sedes in Cælo.

Chrys. serm. 14.

Paupertas dicitur diuina.

Chrysol. ser. 170.

52 Meritò Petrus omnibus possessis renũciat, vt arrhabonẽ cælestis Regni sortiatur. Ita pauperibus spiritu promiserat Christus. *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Quò Tertullianus in-

Tertull. l. 4. con. Marc. c. 14.

 ten-

tendit. *Igitur qui à consolatione pauperum, & humilium, & esurientium & flentium exorsus est, statim se illi exhibere gestijt.* Rumpit moras Deus: cunctationis fermè impatiens, illicò se pauperi aperit: nō vitæ exitum opperitur: hic se detegit, vt pauperi tribuat beatitatem.

Pauperibus se, Deus impatienter ostendit.

53 Horum felicitati etiam adijce diuites; si pauperibus ad Regna Cælestia comparāda vti sciant. Hi enim interdum diuitibus ad beatitatē inuestigandam duces sunt. Venator canes habet ad prædam, quibus sagax est adoratus, haud virentis graminis odore hebeatus, Diues pauperibus seruiat, qui omnibus renunciarunt, quibus ad venandum cælestia nunquam sagacitas deerit, si futuram gloriam venari cupit. Cum Amadæum sanctissimum Sabaudiæ Ducem conuenisset exteri Principis quidam Orator, vt cum illo magni ponderis negotia pertractaret; forte aulæ ornatum, apparatum, delicias explorans, petit à principe num venatici Canes alerentur in aula, quibus & indagare feras, & illis insidiari consuesset, cui ille: Vtique innumeri, quibus in dies cibaria apponi iubeo. Postridie copiosum pau-

Paupéres diuitibus cælum ostendunt.

Amadæus Dux Sabaudiæ pauperibus vtebatur, vt venaticis canibus.

pe-

perum gregem exhibet. Hos, inquit, alo canes, quibus ad venanda cælestia vtor. Diuites itaque non desperent cælestia inuenire, tales ad prædam canes nacti.

54 Diues, qui cæli vias ignorat, nè hàc vel illàc erret, pauperes adhibeat obscuræ semitæ indices, & duces. Sic monet magnus ille Hipponensis Episcopus Augustinus. *Via Cæli pauper est, per quam venitur ad patrem: Incipe erogare, si nos vis errare.* Augustinus.

55 Meritò itaque Petrus, Apostolorum Princeps, pauperum caput, ad montem assumitur, vniuerso vt clareret orbi pauperes esse Regni cælorum principes: Diuites posse cælestia venari: si illis vtantur vel vt canibus ad prædam; vel ad iter, vt ducibus.



Aſſumpſit Ieſus Petrum, Iacobum,& Ioannem.

In Sanctiſſima transfigurationis ſcena, cui debetur dignius ſubſellium Petro amanti, an Ioanni amato.

Myſticæ Theologiæ problema.

ANNOTAT. VII.

Petrus & Ioannes cõparati.

56 Vix in proſcenij conſpectu ſumus, vbi Chriſti gloria exhibetur, Prophetis, legislatoribus, Apoſtolis. Et qualis in cælis noſtra futura ſit, detegitur; cum diſceptantes intueor Apoſtolos. *Quis eorum videretur eſſe maior.* Cui nobiliora debentur ſubſellia, Petro nè, an Ioãni? Vt ſuus cuique tribuatur locus, ego deſignator, antequã eos ſeſſum ducam, ex antiquo more vtriuſque expendam merita, Nec illa ex eo demetiri animus eſt, quòd vnus eſt, cui

Luc. 22.

cui virgo genitrix commendatur: Alter, cui Ecclesia concreditur; sed ex amoris tãtum prærogatiua; Theophylacto contentionis rationem indicante, *Assumpsit*, ait, *tres vertices Apostolorum, Petrum, tanquam dilectum. Petrus amat, Ioannes amatur, ideo vterque vocatur ad montem.* Theophilactus.

57 Litigiosam esse hanc disputationem nemo est qui neget. In eo tamen difficultas, vt exploremus, quæ semita nobilior. An, qua nos ad Deum amando ascendimus: An qua Deus ad nos diligendo descendit. Sublime profectò, ac diuinum munus ad Deum per amorem eleuari. Egregiè S. Augustinus fermè attonitus de hoc amore, ait, *Qui tibi sum ipse, vt amari te iubeas à me: & nisi faciam, irasceris mihi, & minaris ingentes miserias: Paruanè miseria est, si non amem te?* Amare Deũ, an amari à Deo sit nobilius. August. cõf. l. 1. c. 5.

58 Cõtra verò quem Deus amat, vel est, vel facit amore suo dignum: non enim, vt homo, Deus falli potest, immeritum amando. Dubia itaque apparet tantorum Principum prælatio. Et quidem Petrus amans Ioanni amato præferendus videtur: ipsa enim amoris cruciamenta amantem digniorem reddunt: Quid enim

est in amãte amor, nisi quædam à se peregrinatio, & exitus in suimet exitium tendens? Amare est, voluntaria morte perire: sui esse immemorem: sibi non operari: sui esse desidiosum: Vni amato amans viuit, suis in illum translatis amoribus: imo & vitã, quamobrem amorem cum morte componit Salomon. *Fortis est, vt mors dilectio.*

Cant. 8.

59 Moritur itaque amando Petrus; sed maximo sui lucro. Moritur homo, & resurgit Deus. Lucrosa est Phœnici mors sua; dum ad plura & longiora resurgit secula. Petrus sibi mortuus ad duplicem resurgit vitã: reportat ex funere lucrum; vitam quippe geminat. In Deum trãsit qui homo erat, vt Deus illi viuat. Quòd si Deus non accurrat ad excipiendã amantis Petri vitam, & illi amando non respondeat, nusquã Petrus erit, sibi mortuus, & Deo non viuus. At Deus excipit amantis animam, cum dicat. *Ego diligentes me diligo*: ex amoris vicissitudine communicat illi vitam: sicque deinceps; non sua, sed Dei vita viuit, quod maximum est lucrũ, & in amoris triumphũ cadit; quòd nimirum amor æmulus Creatoris sit denuò creaturam reproducens.

Amans immortalis, vt Phœnix.

Prouer. 8.

60 At

60 At primam amoris sedem Ioanni conuenire illud suadet, quod vi amoris Christus in illum transformetur. Transformatum diximus Petrum in Christum, at modo asserimus Christum transformatum in Ioãnem: Id certè nemo inficiabitur. Recumbens enim Ioannes in Christi sinu. Christus euasit. Numquam Deus nostra aufert, nisi vt sua donet: abstulit in felici illa recubitus ecstasi Ioannem à Ioanne: sed se tradidit, & illi esse Christum per amorem dedit. Amoris trãsformatio.

61 Semita, quã ad nos Deus pergit, videt dignior; in ipsa.n. stat gratię totius momẽtũ per quam *diuinæ efficimur consortes naturæ:* Quod Cõc. Tridentinum innuit; asserens, *Formalem causam iustificationis esse Dei iustitiam non illam, quã Deus iustus est: sed qua nos iustos facit, & qua nos verè iusti sumus, & nominamur*. Ab hoc fonte nobis tota dignitas, totus honor, bona omnia sũt. Si.n. amare est, velle bonum; quale nobis maius bonum erit, quàm Deus nos diligens, á quo omne bonum? Iustificationis bona. Conc. Trid. sess. 6. c. 27.

62 Hactenus dimicatum est: nunc pacificè dirimenda quæstio. Puto neutri palmam auferri, vtrique de-

Paritas inter Petrum, & Ioannem. August: deberi. Patitur vnus diuina: agit alter, dicam cum Augustino. *Melior est, qui plus diligit Christum: Felicior, quem plus diligit Christus*, Amat Petrus, & amatur. Amatur Ioannes, & amat quia nunquam verus amor, qui non reciprocus. Amat Petrus, vt ametur, & amore prouocet amantem.

Chrysol. ser. 18. Chrysologus, loquens de Christo concedente in domum Simonis. *Ad domum Petri* (ait) *venit Christus, vt domus Petri veniret ad Christum*. Ioãnes iam habet Christum, à quo diligebatur.

63 Concludamus itaque idem his Apostolis attribuendum esse subsellium; cum Deus non minoris pendat à se amatos, quàm se amantes. Sint itaque in eodem tabernaculo cum Christo amãs, & amatus à Christo. Obsignet cuncta, quæ diximus

August. trac. 124. in Ioa. Sanctus Augustinus. *Nemo istos insignes Apostolos separet: & in eo, quod significabat Petrus ambo erant: & in eo, quod significabat Ioannes, ambo futuri erant*.

Trans-

Digitized by Google

Transfiguratus eſt ante eos.

Transfiguratio in Deum à virtute: in pecudes à vitijs.

ANNOTAT. VIII.

64 SAgarum peritiſſimã Cyrcen, aliquot ex Vlyſſis ſocijs mutaſſe in pecudes Auguſtino teſte finxit antiquitas. Viros probos ſanctoſque commutari in Deos ſacræ literæ conteſtantur. Dicuntur enim, Dij, *ad quos ſermo Dei factus eſt.* Chriſtus ſe in monte transfigurat, vt ſuos in ſe transformet. Paulus ait: *Nos autem gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur.* Quod expendens Auguſtinus, inquit, *Per ſpeculum, Verbum Dei carne veſtitum, & ſpectabile factum hic intelligitur, in quod transformamur.* Tertullianus vertit, *transfiguramur*, ad quod ex eiuſdem ſenſu alluſit Paulus, dum Chriſtus transformatus ſuos in eandem imaginem transfigurat. Iuſti omnes à gratia in Dei commutantur formam, effecti Deiformes.

Circe Saga.

Auguſt. lib. 18. de ciuit. cap. 18.

2. Corinth.

Aug. lib. 10. de Tri. c. 18.

Tert. l. 5. cõtra Marc.

Transformatio hominũ in Deos.

mes. Quod accommodatissima similitudine expressit Theodoretus. *Quemadmodum*, ait, *aqua perspicua eorum, qui inspiciunt, aspectum, & ipsius Solis circulum, & cælorum conuexa effingit: ita etiam & cor purum fit diuinæ gratiæ, veluti quodam speculum, quod cum refert, exprimit.* Audiant mulieres, quale speculum habet in quo se respicit numen; id cor purum est, quo & refertur, in quo & exprimitur. In puritate gaudet exprimi, qui maculæ est omninò expers. Augustinus affirmat vnum Deum esse huius transfigurationis authorem: ille solus huius figuræ pictor, qui valet cælesti lumine, coloribus diuinis hanc repræsentare imaginem. Addit idem Augustinus. *Ideò ait Apostolus, transformamur de claritate in claritatem á domini spiritu.* nequit penicillus, nisi diuinus, tantam claritatem exprimere. Ab oceano lucis prodit tam clara imago. Quamobrem Hipponensis præsul ait, à *Domini spiritu, quia ostendit à gratia Dei nobis conferri tam optabilis transfigurationis bonum.* Addo à diuina pulchritudine prodire tam nobile opus, in quo excellentior, & valentior apparet illa, quàm omnipotentia: dum hæc producit homines

Theodoret.

August. de trin. l. 10. c. 8

Pulchritudo in Deo nobilior quàm omnipotentia.

nes

nes, illa transformat productos: hæc edit in valle lacrimarum, illa in regione lucis: hæc terrigenas parit, illa cælites: hæc homines, Deos illa: hæc creat, illa beat. Dicerem. Potentiam à pulchritudine apprehendere disciplinam; dum hæc opus perficit, quod illa incœpit: illa membra fingit, hæc vultum pingit: illa vmbras ponit: hæc lumen indit, ab hac enim creatura *transformatur de claritate in claritatē*. In vano positus foret homo, Dei pulchritudinem nunquam visurus: à pulchritudine habet Omnipotentia, quod opus suum non pereat, sed habeat æternam vitam. Omnipotentia fermè cæcos producit mortales, Pulchritudo illuminat; hæc vrsa est, quæ informem molem, ab omnipotentia editam, transformat in veram formam. Omnipotentia discipula pulchritudinis.

65 Caueat itaque homo terræ affixus, à diuina pulchritudine remotus, caligine obrutus, nè, conuertatur in terram. Vt luna, cum suum speculatur solem, clara apparet, ac pellucida: secus si tellus erit ipsam inter & solem media.Ità & homo quamdiù diuina speculatur, transformatur in Deum: si terræ adhæret, terreus erit. Egregiè id totum Chryso- Homo vt Luna.

Chrysol. ser. 120.

solognus. Ipse erit clarior sole, qui sic virtutum radijs toto orbe splendet, vt fuscari se nulla vitiorum nocte permittat.

66 Non miror Apostolos Christi vultum speculantes, transfiguratos in Deos, cum & Magdalena Christi mortui vestes, & sepulchrum lustrãs, illicò mutatur in Virginem. Scitè Chrysol. expendens Lucæ verba. *Venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum*, ait. *Vna venit nomine, quæ nunc alia legitur in diuersa persona, & mutatam fœminam diuersitas panderet personarum; Venit enim, & non venerunt: & cum dixit, alia, in vtrumque eandem mystico designat affatu; vt venit mulier, & redit Maria: Venit, quæ intulit mortem; & redit, quæ genuit vitam. Quare? videre sepulchrum tantùm, videre sepulchrum non Christum quærere.* Papæ! quæ mutatio in Magdalena, à sepulchro redeunte? altera facta est Maria, quæ erat in Ciuitate peccatrix: Virgo emergit è sepulchro. Cum beata non posset redire à mortuo Christo, redit Virgo in virginitate beatitatem delibans, sic fides transformat in Mariam: gloria transformat in Christum.

Chrysol. ser. 77. Magdalenæ ex visione sepulchri Christi trãsformatio. Chrysol.

67 Væ illis, qui renunciantes diui-

uinis, hoc ſpeculantur ſeculum in illud ipſum moſtrum, quod vident, ibunt: cuius ſi inſpicere cupis formam, en tibi à ſacro Petri Chryſologi penicillo ſcitè depictam. *Fratres,* inquit, *audiſtis formam ſeculi: didiciſtis ſpeciem: vidiſtis figuram, ſi tamen formam, & non informe moſtrum: vbi confuſione criminum tota rerum facies eſt deleta: vbi peccatorum connubio tota mundi figura eſt diſſoluta: vbi delictorũ morbis imago ablata conditoris: vbi homo in vitijs eſt ſepultus: vbi in homine homo non cernitur, ſed cadauer; Apoſtolus huic formæ prohibet nos eſſe conformes.* Turpe ſanè oſtentum! vbi nil boni: vbi confuſio magna, & horror: vbi nulla vera imago, dum eſt ſine imagine conditoris. Caue, caue, ab infami forma, cui conformari, vt ait idem Sanctus, nos Dominus vetat, ſed ad formam Dei te reforma: & ad illius ſimilitudinem te reuoca. O beatam trigam ad ſpecioſam Chriſti formam transformatam! Origenes affirmat Chriſtum in conſpectu diſcipulorum transfiguratum, vt diſcipulos in ſe transfiguraret, *Hi autem coram quibus transfiguratur, facti ſunt filij Dei: & oſtenditur eis ſol eſſe Iuſtitiæ: & veſtimenta eius fiunt candi-*

Chryſol. ſer. 120.

Origen. hic.

da,

Christus transfiguratus transfigurat videntes.

da, sicut lumen. Mirum! momento, quò Christus se trasfigurat, vt patris se filium ostendat: discipuli in Dei filij formam transfigurantur: & dum vident radiantes pulcherrimi vultus splendores, suos intuentur radiare vultus: dum spectant niuea Christi vestimenta, etiam albicare noscunt sua: se totos in Dei formam commutatos aduertunt.

68 Dæmon æmulans Christi trãsfigurationem, annititur suos in nobiliorem figuram commutare: suadet superbis in imaginem, quam sibi fingunt, se iam transformatos. Nabucodonosor ad sessaginta cubitorum excelsum simulacrum iam adultum se putat: iubet vt tale ostentum orbis adoret. Alexander Macedo transfiguratum se iactat in numen, sibi vendicans sacrificiorum & victimarum cultum. Persæ, humana repudiata natura, incedebant nunc radiato capite, vt solem: nunc cornuto, vt lunam; nunc illustrato, vt sidera exprimerent; sic miseri dæmonibus se deuouebant. Hinc scitè Chrysologus: *Neuè simus, vt Persarum Reges, qui subiecta nunc pedibus suis sphæra, polùm se calcare vices mentiuntur: nunc radiato capite, nè sint homines, solis resi-*

Transfiguratio à Dæmone.

Regis Persarum transfiguratio. Chrysolog. ser. 120.

dent

dent in figura: nunc impositis cornibus, quasi viros se esse doleant, effœminantur iu lunam: nunc varias, veluti siderum sumunt formas, vt hominis perdant figuram, & nihil supernæ claritatis acquirant. Quot sunt in terrarum orbe, qui modò in taberna merces vendunt, mox succollati mancipiorum humeris, vt reguli, discurrunt per vrbem, adeò transformati, vt familiares ipsi sui, tam nobilem figuram non agnoscant: personas credunt, qui in scena repræsentaturi Regem inducuntur; sed iusto Dei iudicio descendent mox hi theatrales Reges ad staturam suam (vt dicebat Seneca) exuentes male vsurpatam. Seneca.

68 Christianus eam sequi transformationem debet, quæ à virtutibus, & illam cauere, quę à vitijs. Præclarissimum transfigurationis genus ab oratione habes. Hanc Christi transfigurationem Euangelista orationi tribuit, *Dum oraret*, inquit, *facta est facies eius altera*. A cæteris virtutibus etiam homini præclara transformatio ad Dei imaginem; & quamuis insita naturæ humanæ Diuina imago, illa tamen sub oscura latet, nisi virtutibus illustretur. Oratio transfigurat orātem.

E Augu-

August. de Trin.l.15. cap.8. Augustinus ait: *Transformamur de forma in formam: mutamur atque transimus de forma obscura in formam lucidam; quia & obscura Dei imago est:* Paucis interiectis docet, quo pacto obscurata natura peccato, clarescat virtutibus. *Natura in rebus creatis excellentissima, cum à suo creatore ab impietate iustificatur à Dei forma, formosam transfertur in formam.* Stephanus inimicos ex charitatis virtute diligens adeò euasit alter, vt Hebrei attoniti hærentes in Martyris vultu

Actor.7. intuerentur illum, *tamquam vultum Angeli stantis inter illos;* Parum fuit Stephano transformari in Angelum, cum in Dei vultum mutetur quili-

August.c.10. bet iustus. Augustinus ait, *Cum ergò hac transformatione ad perfectum fuerit hæc imago renouata, similes Deo erimus: quoniam videbimus Deum, non per speculum, sed sicuti est.* Hanc transfigurationem ambiant feminæ, non quam á fucis, & à purpurisso profusis impendijs, & labore emendicant.

69 Ad illam descendo, quam cauere debet homo, ne in pecudem degeneret. Præclarè Chrysol. de prodigo iuuene loquens, expendit quo pacto à se abit, & in se redit,

Chrysol. ser. *In se ante redit, vt rediret ad Patrem,* qui

qui à se recesserat, cum recessit à patre. à sè migrat,&ab homine homo,cum lætus transit ad bestiam,*paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.* Ad eamdem mentem Cicero affirmat. *Non homines, qui vultu humano sunt,homines esse;sunt quidam homines, non re, sed nomine,* Diogenes, vt refert Laertius , videns adolescentulum cincinnatum,delicatulum,mollem, transformatum fermè in fęminam, dixit. *Non pudet deterius de te ipso, quam ipsam naturam statuere;illa te virum fecit , tu te cogis mulierem fieri.* Boetius de hac transformatione clarius . *Euenit,vt quem transformatum vitijs vides, hominem æstimare non possis. Auaritia feruet, alienarum opum violentus ereptor, lupi similitudinem diceres.*Sic de cæteris. Ferocem canibus,insidiatorem vulpibus confert . Sancti Patres ad eundem sensum homines prauos,leones, vrsos , canes,vulpes,iuxta varia,in quæ inciderunt vitia,appellauere. Hùc accedit Aristot.affirmans hominem, si in bestiam degenerauerit,bestiarum fore pessimum.*Omnium animalium ait,melior est homo lege fruens : hic omnium pessimus videtur,à lege,& à iustitia separatus.*

Peccator transformatur in belluā

Cicero off.1.

Laert. lib.6.

Boetius l. 4. pro.3.

Aristotiles polit.1.

Dan.4.

70 Tandem decantatissima est Assyriorum Regis, propter immania scelera siue in Leonem, siuè in Bouem, siuè in quodlibet aliud animal metamorphosis. *Nabucdonosor*, ait Sacer Author, *ex hominibus abiectus est, donec capilli eius in similitudinem Aquilarum crescerent, & vnques eius, quasi auium*. De quo eleganter Paulinus. *Siquidem Regi Assyriorum in solitudinem, feritatemque damnato, luctuosa concretio capitis intonsi in iubam leonis horruerit; vt etiam corporis specie transierit in belluam, qui non solum è Regnis suis, sed etiam à sensibus exulabat humanis, Coma tristi leonem, vncis vnguibus vulturem, sensu, & pabulo bouem referens; ne vnius tantum belluæ similitudinem ferret in pœnis, qui multorum similis fuisset in moribus.* Heù gregem animalium refert vnus homo, quando prauus. Quo pacto hic princeps ad suam redijt formã? Erogando eleemosynas: fundendo præces: ieiunando. sic ille de se testis probatissimus. *Figura mea reuersa est ad me*. Abierat figura hominis, indignata fortassis laruam esse animalium, quæ vnum corpus multa cælauerat: redijt, cum aduertit hæc à virtutibus fugata.

Nabuc. in plura vitia effusus plurium animalium formam recipit.

Paulin. ep. 4.

71 Ite-

71 Iterum moneo caueant homines à vitijs, quę tramites sunt ad turpem hanc formam. Scitè Bernard. de primo parente loquens, expendens Salomonis verba Cantic. 1. *Egredere, & abi post greges sodalium tuorum, & pasce hædos tuos*, ait. *Salomon, vt mihi videtur magnæ rei nos admonet; Quid istud? Heù quòd egregia creatura olim facta de grege, & nunc in pecus, miserabiliter proruens, non saltem inter greges manere permittitur: sed post abire iubetur, quomodo inquis? quomodo legis? Homo cum in honore esset non intellexit, Ecce quomodo de grege facta est egregia creatura; puto dicerent iumenta, si loqui fas, Ecce Adam factus est, quasi vnus ex nobis*. Imo addo dicerent illa, nobis peior, quandoquidem nos bruta Deo paremus, tu brutescens insidias in Deum paras; & sic haud cum nobis, sed post vestigia nostra abis. Peccator Brutis vilior. Cant. 1. Bernard.

72 Agnoscat tandem homo feritatem suam in Christi speculo, vt trãsformàtionis, ad quam vitia nostra traxère, pertæsi quæramus Dei, ad quam virtutes ducunt, imaginem. Nulla erit excusatio. Quomodo cœnum transformabitur in Cælum, puluis in plastem, homo in Deum? Deus varias se transformat in formas, vt homini se attemperet.

quia numen, speculum factum, itâ temperat lumen, vt possit mortalis illam eligere formam, in quam vel ingenium eius, vel natura propendet. Ita eleganter Chrysolog. *Deus habitus suscipit; variat formas; commutat officia, vt te mutet in melius.* Vt tu peccator, alpina niue frigidior, incalescas, Deus candentis rubi formam suscipit. Idem Chrysol. *Igneus tibi resplendet in rubo, vt perfidia te frigidum, fidei calore succendat*: vt ignorantiæ obcæcatus tenebris, gratiæ splendore illustreris, in coruscantē se columnam transformat, sic tu ad Cælū tutus, per tenebrosos calles excurras. *Nunc elucescit flammeus in columna, vt remotis ignorantiæ tuæ tenebris per solitudines huius mundi, viam possis scientiæ percurrere salutaris.* In Aquilam, in gallinam, in pastorem, in ouem (quę omnia felicissimè prosequitur idem Doctor) se transformat, vt hæc intuens peccator, è diuino speculo illam hauriat, cuius indiget, formam. Hoc speculum Elisabeth Regina spectans, in vna forma inuenit omnes salutares, abiecit lethales: Non Taboreus mons hanc, sed Caluariæ cliuus exhibuit, qua confestim in meliorem formam mu-

Chrysol. ser. 170.

Elisabeth Vngarię moralis transformatio.

ta

ta est. Erat lectissima hæc mulier ex his, quæ se ad mundi genium vanitatemque pingebant. Diceret Tertullianus. *Cutem medicamine vngebat, genas rubore commaculabat, oculos fuligine collinebat*. In monstrum abierat, iam mentita creatorem, reprehendebat suis additamentis artificē. At quo pacto feralem exuit formam, induit Diuinam? fortè illàc pertransijt, vbi Christi in Cruce pendentis imago fulgebat. O magnum speculum! figit lumina, & fermè attonita, in hoc scelera sua, in hoc suam fœditatem agnoscit: se conuersam in mōstrum cōsiderās dolet: diaboli abijcit ludibria, Christi superinduit colores: Regna, & latifundia cum arcta cellula mutat, religionem cum mundo: cum cæno cælum; sanctissima euadens, non modò ad imaginem, sed ad ipsam Dei similitudinem redit: facta Christianis omnibus exemplar, docet quo pacto vno oculorum aspectu, nobilissimam transformemur in formam.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem in montem excelſum ſolos.

Ducit labor iuſtorum ad gloriam, Impiorum ad pœnam.

ANNOTAT. IX.

73 AD iluſtrem hanc Metamorphoſim Iacobus accitur, qui primus pro Chriſto labores, ærumnas, mortem ipſam ſubiit. Sanctus Ioannes Damaſcenus ait, *Iacobum aſſumpſit, tamquam moriturum pro Chriſto ante omnes diſcipulos.* & Theophilactus. *Aſſumpſit Iacobum ex eo, quòd poculum tribulationum, & laborum ſe bibiturum promiſit* ' Hinc dubium oritur, an mortales omnes abſque probitatis, & improbitatiſ, diſcrimine, ſint ex tribulationis calice bibituri. Quo pacto diuerſa ſtipendia meritorum ad eumdem ducant calicem: quomodo diſſita ſemita incedentes, parem offendant hoſtem, eumdem ſortiantur exitum,

Damaſ.

Theophyl.

Labor homini ineuitabilis.

exitum, in eadem incidant mala. Attamen diuino consilio definitum est, vt nulla sit via mortalibus peruia, qua valeant labores, & dolores effugere. Bernardus, mellitissimus Doctor, amaram protulit in homines sententiam. *Qui in labore hominum non sunt, profectò in labore dæmonum erunt.* Christiane libenter patere, vt homo, ne deinceps patiaris, vt dæmon: à patrato illo primo scelere, à deturbato ex Paradiso Adamo, lex mortalibus hæc imposita. Nemo speret, dum viuit, labores effugere. Homo agricola nascitur, damnatus ad terram fodiendam, quæ tribulos & spinas perpetuò germinet. Præclarè Chrysol. *Post maledictionem, sudores & laborem*, adiecit causam, subdens: *Nihil.n. minus natū est otio & quieti, quàm humana natura.* Non quietem quærat homo, non otium: illi priùs requies æterna erit, quàm temporaria quies, Id est, quod ex primi parentis meritis hausimus: vnde Angelicus Doctor docet. *Hoc ipsum, quod pœnale reduci ad originalem culpam, sicut ad causam.* Plorent, & lugeant mortales: Mundus illis vallis lacrymarum est: ab hac sine fletu nullus emersit, nullus emer-

Bernard.

Chrysol.

D.Thom.
Pœnæ vnde oriantur.

August. de sanct. ser 46. Psal. 125. Homo semper in motu

emerget. Augustinus expendens Regij vatis emisthichyum. *Euntes ibant, & flebant*, ait: *ex quo nascimur, imus: quis enim stat? quis ex quo intrauit non cogitur ambulare? Infans nascitur, crescendo ambulat, mors finis est, Quis enim non hic plorat in via ista mala, quæ ipse infans? vnde incipit? vtique infans quando nascitur de angustijs vteri: in huius mundi latitudine funditur: de tenebris procedit ad lucem, & tamen de tenebris veniens ad lucem, plorare potest, redire non potest*; lux nostra obscurior est tenebris; cum in illa, & ex illa tot mala præsentia, & futura videmus, & præuidemus.

Iob 5.

74 Rectè Rex visitanus: *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum*; Non alias pennas noscit homo, quibus euolet ad Cælum, quam pœnas.

Lux humana tenebricosa.

Obscurum est lumen, quo splendet quis in muudo; quia non verè splendor ille, sed fugax & parua scintillula, quæ ascendit, vt ignis, descendit vt cinis, fulgori sulfureo, iacto puerili manu, persimilis: in quo splē dor futurum nuntiat cinerem. Nec aliena à Iobi mente est similitudo; nam ex Thargo ait, *Filius hominis ad laborem natus est, & finis eius tanquam scin-*

Thargum. Vita humana scintilla ex igne concupiscentiæ excusa.

scintillæ, quæ exaltantur ex prunis, & eleuant se ac si volarent, Ignis à quo hæ scintillulæ fluunt; concupiscentia est; vt enim à leuiter percussa silice confestim surgit flamma: sic ex concupiscentia scelerum illecebrarum scintillæ: quæ si lacrymarum aqua ocyùs non extinguantur, magna excitant incendia, quibus peccator, neque hic, neque in orco æternùm sufficiet.

75 Laboriosissimam contestantur hanc vitam ipsimet ad inferos damnati homines: ab erebo sunt illæ voces, *Lassati sumus in via iniquitatis: ambulauimus vias difficiles*, Vbi egregiè Lyranus, *Frequenter plus laborant ipsi homines ad perficienda sua peccata, quàm Iusti ad iustitiæ opera; sicut patet de fornicatore, & adultero, qui maioribus laboribus & periculis se exponit ad habendum intentum, licet frequenter deficiat, quàm bonus Religiosus surgendo ad matutinum pluribus noctibus, & ad Deum laudandum*. Hugo Carensis expendens hanc laboriosissimam peccatorum vitam, nominat illam tenebrosam, lapidosam, lubricam, ancipitem, *Dicitur hæc via difficilis, quia tenebrosa*. Pro. 4. *Via peccatorum tenebrosa, quia nesciunt vbi corruunt: Item*

Peccatorum via difficilis.

Lyranus.

Hugo.

Via peccatorum difficilis.

Item lapidosa est Ecc. 21. *Via peccantium complanata lapidibus , & in fine illarum tenebræ, & lubricum . Item lubrica.* Psa. *Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum : & Angelus Domini coarctans eos. Item difficilis, ab effectu propter difficilem pœnam, quæ est in fine vitæ, sicut dictum est . Via peccantium finis illorum inferi, tenebræ , & pœnæ : propter hoc in* Psal. *Contritio & infelicitas in vijs illorum, & labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere ,* & Hieron. *iniquè laborauerunt .* Mitto Carensem , cuius verba non expendo, quia ad maiora festino.

Cyprian. ex Hor. ad Mar. cap. 22. Peccatorum solitudo.

76 Cyprianus. *Vias difficiles.* vertit *Vias solitudinis .* Cur solitudo mundanis tribuitur ? quorum perpetua in triuijs, & otiosa multitudo est: solitudo religiosis, & erimicolis propria : vnde Monachorum illis nomen. Hoc est, in cella soli. At optimè Cyprianus. Mortales licet media in vrbe, soli sunt: omnia solitudinis incommoda, in frequentissimo populo sustinent: nullus in numerosa Ciuitate est , qui flagitiosum corrigat , qui perdant multi: ibi victus , & vestitus perpetua inopia , via difficillima ad vota prauorum implenda : solitudinis via pede prauo calcata ,

ab

ab improbis has extorſit voces. *Ambulauimus vias difficiles*, Solitudo, vbi multitudo: digna lacrymis eſt. Eius amaram memoriam, etiam in Orcino igne praui retinent, & conqueruntur, *Ambulauimus vias ſolitudinis.*

77 Verùm dices: flagitioſis tantùm debentur labores & ærumnæ, non bonis: habent illi perpetuum ſuorũ ſcelerum vindicem Deum à tergo. Eruditè Clemens Alex. *Peccatorem autem ſemper conſequitur iuſtitia vltrix eorum, qui à lege deficiunt.* Numen à tergo vltor eſt, à fronte remunerator: expeditus ad præmia, ſed ad vltionem tardus: in vno claudum, in altero alatum ſe exhibet. ſed inſontibus, quibus plena manu præmia promittuntur cur labores, & ærumnæ? quorum non ſiccatur fons lacrymarum, donec miſericors Deus, emenſa vitæ periodo ab illorum oculis non abſtergit: *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Inundantia hæc fluenta lacrymarum, mundo nomẽ, vallis lacrymarum, dedère. Heù pares luent pœnas ſons, & inſons: probus, & prauus: numinis hoſtis & amicus?

Deus à tergo peccatorum vindex. Clem. Alex. l. 2. ſtrom.

Apocal. 7.

78 Sed audi modum, quo malus, quo bonus cruciamenta patiuntur,

& ex

Peccatorum labor differt à labore iustorum. Peccatoris labor ad pœnam.

& ex hoc cessabunt querelæ. Prauos sequitur ærumna & labor, vt lictor, & carnifex: Noxam. n. sequitur pœna. Ratio ex Theologis, & præcipuè ex D. Thoma hæc. Transgressus es sceleribus tuis diuinæ Iustitiæ ordinem, cogit te Deus, vt in orbitam, regrediaris, vnde exorbitasti: quod violatum est, compensa: elusisti Iustitiam, plus æquo voluntati tuæ indulgens: diuina corrupisti, contempsisti humana, patere vt voluntas ære suo luat iniuriam. *Et quantum in delicijs fuit habeat tormentorum.* Iniurius fuisti proximo, fac illi satis. Iustitia ante diuinum tribunal clamat, temerata esse sua iura: abstulisti nummos, solue quod debes: peccasti, suffer pœnam: quę voluntas edidit scelera, luat ipsa; omne. n. quod reluctante, voluntate agitur, pœna est. subsequitur igitur præeuntem peccatorem pœna peccati, vt voluntas graui noxæ pondere curua, ad sublimia erigatur.

Iustorum labor ad vitã.

79 At Iustus qua ratione plectendus, qui iustitiam nunquam læsit, qui ab eius cultu nomen accepit, & *Iustus* dictus est? cur itaque alumnos suos, gentiles, cognomines affligit? Verum suffert labores iustus: quia,

sine

fine ipfis nihil confequi boni poteft. Philo Hebræorum difertiffimus, affirmat, quòd æquè homini neceffarius fit labor, ac panis: fœdera fortaffis tunc iunxère, cum Adamo dictum, *In fudore vultus tui vefceris pane tuo. Equidem*, ait Philo, *existimo laboris, cibiq; eandem effe vim: nam ficut à cibo tota vita pēdet, vnà cum fuis actionibus, & affectionibus: ita à labore pendet quidquid in rebus bonum eft; ergo quemadmodum, qui vitam fibi prorogare cupiunt, alimenta non negligunt: Ita quotquot quæ bona funt concupifcunt, laborem magnificant; ficut.n. cibus fe habet ad vitam, ita labor ad honeftatem.* Audiant hæc defides, otioq; ftertentes: fine honeftate funt, quia fine labore: ex hoc.n. homini tota honeftas: Ideo faftidiebat vitam fine labore Sanctiffima Virgo Therefia, cuius in ore fere perpetuò aurea illa verba, tam Sancta Virgine digna, *Vel pati, vel mori.* Renuo vitam laboribus, & ærumnis non cohoneftatam. Panis quo viuunt Iufti, labor eft. Meritò Rex Hebræus; *Cibabis nos pane iacrymarum.* Otium vitam euitat, quia labori contrarium. Sanctus Zeno iuxta fuā verfionem expendens verba Sāčti Regis, *Labores fructuum, quia man-*

Phil. Heb. de fac. Abel, & Cain.

Gen.

S. Theref.

Pfal.

Zenon. Pfal. 127.

manducabis; ex laboribus enim fructus est, non ex fructibus labor: labor ministerium corporis est, fructus verò merces laboris: ministerium autē corporis, incorporale est, licet corpore fiat: nihil edere, nisi quod corporale, possumus, sed propheta nihil de terrenis, & præsētibus tractat; de beatitudine enim timentium Dominum, & in vijs eius ambulantium sermo est: qui .n. in vijs Domini ambulabūt, illi labores fructuū suorum manducabunt: non .n. hic manducatio corporalis est, quia neque id, quod manducandum est corporale est, Sed habemus hic cibum spiritualem, animam nostram in vita alentem, bona scilicet opera sanctitatis, misericordiæ, patientiæ, tranquillitatis, in quibus nobis contra corporum nostrorum vitia laborandum est: horum laborum fructus in æternitate est, sed labor hic æternorum fructuum ante comedendus est, & quod in vita hac corporali vita nostra alenda est per cibum horum laborum, obtinens panem viuum; panem cælestem ab eo, qui dicit, ego sum panis viuus. Cibus itaque animę labor est, sine hoc languescit illa, ferme in præsentissimo mortis discrimine posita, clamat

Psal. 118. *Agonizauit anima mea præ tædio.*

80 Hùc accedit, quòd dùm *Iustus* cruciatur, nihil agitur contra *Iustitiam*

tiam: volens enim patitur, nulla iniuria infertur volenti. Ad virtutis montem salebrosa via ducit, ad illũ nemo ascendet pede non fatigato: qui ad ima declinat faciliùs, quàm ad sublimia graditur: constans est sophorum sententia, virtutem in fastigio montis sitam. Ita Simonides apud Clem. Alex. *Fama est virtutem habitare in rupibus, difficilem ascẽsum habentibus.* Cum parata, & facilia aguntur opera; tunc non agitur ex virtute, sed cum ascenditur in montem excelsum seorsum à cæteris; nõ enim virtus vulgaris, & vltro occurrens est, sed remota à turba, & in cacumine montis habitans. Iustus sustinere debet libenter omnia, dummodo virtutem lucretur.

Virtus in altis habitat.

Clem. Alex. l. 4. strom.

81 Non patulam sub fagi tegmine hanc margaritam natura exposuit, sed in rupe. Theodoret. *Porphyrius* ait, *Via, quæ ad Deos perducit, ære munita est,* Aurum contemnẽdũ præ hoc ære, viã virtutis muniente Cypri ait. *Durus, & arduus limes, qui tẽdit ad gloriam.* Et rectè. Quæ enim, pulchritudine, & forma præcellunt cæteris, maioribus sunt difficultatibus obsepta, & interclusa; ita Liliũ in spinis, Rosa in aculeis, Margari-

Cur virtus in montis cacumine.

Theodoret. l. de Græc. affect.

Cyprian. de hab. Vir.

quia numen, speculum factum, ità temperat lumen, vt possit mortalis illam eligere formam, in quam vel ingenium eius, vel natura propendet. Ita eleganter Chrysolog. *Deus habitus suscipit; variat formas; commutat officia, vt te mutet in melius*. Vt tu peccator, alpina niue frigidior, incalescas, Deus candentis rubi formam suscipit. Idem Chrysol. *Igneus tibi resplendet in rubo, vt perfidia te frigidum, fidei calore succendat*: vt ignorantiæ obcæcatus tenebris, gratiæ splendore illustreris, in corruscantẽ se columnam transformat, sic tu ad Cælũ tutus, per tenebrosos calles excurras. *Nunc elucescit flammeus in columna, vt remotis ignorantiæ tuæ tenebris per solitudines huius mundi, viam possis scientiæ percurrere salutaris*. In Aquilam, in gallinam, in pastorem, in ouem (quę omnia feliciſſimè prosequitur idem Doctor) se transformat, vt hæc intuens peccator, è diuino speculo illam hauriat, cuius indiget, formam. Hoc speculum Elisabeth Regina spectans, in vna forma inuenit omnes salutares, abiecit lethales: Non Taboreus mons hanc, sed Caluariæ cliuus exhibuit, qua confestim in meliorem formam mu-

Chrysol. ser. 170.

Elisabeth Vngarię moralis transformatio.

ta

ta eſt. Erat lectiſſima hæc mulier ex his, quæ ſe ad mundi genium vanitatemque pingebant. Diceret Tertullianus. *Cutem medicamine vngebat, genas rubore commaculabat, oculos fuligine collinebat*. In monſtrum abierat, iam mentita creatorem, reprehendebat ſuis additamentis artificē. At quo pacto feralem exuit formam, induit Diuinam? fortè illàc pertranſijt, vbi Chriſti in Cruce pendentis imago fulgebat. O magnum ſpeculum! figit lumina, & fermè attonita, in hoc ſcelera ſua, in hoc ſuam fœditatem agnoſcit: ſe conuerſam in mōſtrum cōſiderās dolet: diaboli abijcit ludibria, Chriſti ſuperinduit colores: Regna, & latifundia cum arcta cellula mutat, religionem cum mundo: cum cæno cælum; ſanctiſſima euadens, non modò ad imaginem, ſed ad ipſam Dei ſimilitudinem redit: facta Chriſtianis omnibus exemplar, docet quo pacto vno oculorum aſpectu, nobiliſſimam transformemur in formam.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem in montem excelsum solos.

Ducit labor iustorum ad gloriam, Impiorum ad pœnam.

ANNOTAT. IX.

73 AD ilustrem hanc Metamorphosim Iacobus accitur, qui primus pro Christo labores, ærumnas, mortem ipsam subiit. Sanctus Ioannes Damascenus ait, *Iacobum assumpsit, tamquam moriturum pro Christo ante omnes discipulos.* & Theophilactus. *Assumpsit Iacobum ex eo, quòd poculum tribulationum, & laborum se bibiturum promisit* ' Hinc dubium oritur, an mortales omnes absque probitatis, & improbitatis, discrimine, sint ex tribulationis calice bibituri. Quo pacto diuersa stipendia meritorum ad eumdem ducant calicem: quomodo dissita semita incedentes, parem offendant hostem, eumdem sortiantur exitum,

Damasc.

Theophyl.

Labor homini ineuitabilis.

exitum, in eadem incidant mala. Attamen diuino consilio definitum est, vt nulla sit via mortalibus peruia, qua valeant labores,& dolores effugere. Bernardus, mellitissimus Doctor, amaram protulit in homines sententiam. *Qui in labore hominum non sunt, profectò in labore dæmonum erunt.* Christiane libenter patere, vt homo, ne deinceps patiaris, vt dæmon: à patrato illo primo scelere,à deturbato ex Paradiso Adamo, lex mortalibus hæc imposita. Nemo speret,dum viuit,labores effugere. Homo agricola nascitur, damnatus ad terram fodiendam, quæ tribulos & spinas perpetuò germinet. Præclarè Chrysol. *Post maledictionem, sudores & laborem*, adiecit causam,subdens: *Nihil.n. minus natũ est otio & quieti,quàm humana natura.* Non quietem quærat homo, non otium: illi priùs requies æterna erit,quàm temporaria quies, Id est, quod ex primi parentis meritis hausimus: vnde Angelicus Doctor docet. *Hoc ipsum,quod pœnale reduci ad originalem culpam,sicut ad causam.* Plorent,& lugeant mortales: Mundus illis vallis lacrymarum est: ab hac sine fletu nullus emersit, nullus emer-

Bernard.

Chrysol.

D.Thom. Pœnæ vnde oriantur.

Auguft. de sanct. ser 46. Psal. 125. Homo semper in motu

emerget. Augustinus expendens Regij vatis emisthichyum. *Euntes ibant, & flebant*, ait: *ex quo nascimur, imus: quis enim stat · quis ex quo intrauit non cogitur ambulare? Infans nascitur, crescendo ambulat, mors finis est, Quis enim non hic plorat in via ista mala, que ipse infans? unde incipit? utique infans quando nascitur de angustijs uteri: in huius mundi latitudine funditur: de tenebris procedit ad lucem, & tamen de tenebris veniens ad lucem, plorare potest, redire non potest*; lux nostra obscurior est tenebris; cum in illa, & ex illa tot mala præsentia, & futura videmus, & præuidemus.

Iob 5.

74 Rectè Rex visitanus: *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum*; Non alias pennas noscit homo, quibus euolet ad Cælum, quam pœnas. Obscurum est lumen, quo splendet quis in mundo; quia non verè splendor ille, sed fugax & parua scintillula, quæ ascendit, vt ignis, descendit vt cinis, fulgori sulfureo, iacto puerili manu, persimilis: in quo splẽdor futurum nuntiat cinerem. Nec aliena à Iobi mente est similitudo; nam ex Thargo ait, *Filius hominis ad laborem natus est, & finis eius tanquam scin-*

Lux humana tenebricosa.

Thargum. Vita humana scintilla ex igne concupiscentiæ excussa.

scintillæ, quæ exaltantur ex prunis, & eleuant se ac si volarent, Ignis à quo hæ scintillulæ fluunt; concupiscentia est; vt enim à leuiter percussa silice confestim surgit flamma: sic ex concupiscentia scelerum illecebrarum scintillæ: quæ si lacrymarum aqua ocyùs non extinguantur, magna excitant incendia, quibus peccator, neque hic, neque in orco æternùm sufficiet.

75 Laboriosissimam contestantur hanc vitam ipsimet ad inferos damnati homines: ab erebo sunt illæ voces, *Lassati sumus in via iniquitatis: ambulauimus vias difficiles*, Vbi egregiè Lyranus, *Frequenter plus laborant ipsi homines ad perficienda sua peccata, quàm Iusti ad iustitiæ opera; sicut patet de fornicatore, & adultero, qui maioribus laboribus & periculis se exponit ad habendum intentum, licet frequenter deficiat, quàm bonus Religiosus surgendo ad matutinum pluribus noctibus, & ad Deum laudandum*. Hugo Carensis expendens hanc laboriosissimam peccatorum vitam, nominat illam tenebrosam, lapidosam, lubricam, ancipitem, *Dicitur hæc via difficilis, quia tenebrosa*. Pro. 4. *Via peccatorum tenebrosa, quia nesciunt vbi corruunt*:

Peccatorum via difficilis.

Lyranus.

Hugo.

Item

Viapeccatorum difficilis.

Item lapidosa est Ecc. 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illarum tenebræ, & lubricum. Item lubrica.* Psa. *Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum: & Angelus Domini coarctans eos. Item difficilis, ab effectu propter difficilem pœnam, quæ est in fine vitæ, sicut dictum est, Via peccantium finis illorum inferi, tenebræ, & pœnæ: propter hoc in* Psal. *Contritio & infelicitas in vijs illorum, & labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere*, & Hieron. *iniquè laborauerunt*. Mitto Carensem, cuius verba non expendo, quia ad maiora festino.

Cyprian. ex Hor. ad Mar. cap. 22.
Peccatorum solitudo.

76 Cyprianus. *Vias difficiles.* vertit *Vias solitudinis*. Cur solitudo mundanis tribuitur? quorum perpetua in triuijs, & otiosa multitudo est: solitudo religiosis, & erimicolis propria: vnde Monachorum illis nomen. Hoc est, in cella soli. At optimè Cyprianus. Mortales licet media in vrbe, soli sunt: omnia solitudinis incommoda, in frequentissimo populo sustinent: nullus in numerosa Ciuitate est, qui flagitiosum corrigat, qui perdant multi: ibi victus, & vestitus perpetua inopia, via difficillima ad vota prauorum implenda: solitudinis via pede prauo calcata

ab

ab improbis has extorsit voces. *Ambulauimus vias difficiles*, Solitudo, vbi multitudo: digna lacrymis est. Eius amaram memoriam, etiam in Orcino igne praui retinent, & conqueruntur, *Ambulauimus vias solitudinis.*

77 Verùm dices: flagitiosis tantùm debentur labores & ærumnæ, non bonis: habent illi perpetuum suorũ scelerum vindicem Deum à tergo. Eruditè Clemens Alex. *Peccatorem autem semper consequitur iustitia vltrix eorum, qui à lege deficiunt.* Numen à tergo vltor est, à fronte remunerator: expeditus ad præmia, sed ad vltionem tardus: in vno claudum, in altero alatum se exhibet. sed insontibus, quibus plena manu præmia promittuntur cur labores, & ærumnæ? quorum non siccatur fons lacrymarum, donec misericors Deus, emensa vitæ periodo ab illorum oculis non abstergit: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Inundantia hæc fluenta lacrymarum, mundo nomẽ, vallis lacrymarum, dedère. Heù pares luent pœnas sons, & insons: probus, & prauus: numinis hostis & amicus?

Deus à tergo peccatorum vindex.

Clem. Alex. l.2. strom.

Apocal. 7.

78 Sed audi modum, quo malus, quo bonus cruciamenta patiuntur,

& ex

Peccatorum labor differt à labore iustorum.
Peccatoris labor ad pœnam.

& ex hoc cessabunt querelæ. Prauos sequitur ærumna & labor, vt lictor, & carnifex: Noxam.n. sequitur pœna. Ratio ex Theologis, & præcipuè ex D. Thoma hæc. Transgressus es sceleribus tuis diuinæ Iustitiæ ordinem, cogit te Deus, vt in orbitam regrediaris, vnde exorbitasti: quod violatum est, compensa: elusisti Iustitiam, plus æquo voluntati tuæ indulgens: diuina corrupisti, contempsisti humana, patere vt voluntas ære suo luat iniuriam. *Et quantum in delicijs fuit habeat tormentorum.* Iniurius fuisti proximo, fac illi satis. Iustitia ante diuinum tribunal clamat, temerata esse sua iura: abstulisti nummos, solue quod debes: peccasti, suffer pœnam: quę voluntas edidit scelera, luat ipsa; omne.n. quod reluctante voluntate agitur, pœna est. subsequitur igitur præeuntem peccatorem pœna peccati, vt voluntas graui noxæ pondere curua, ad sublimia erigatur.

Iustorum labor ad vitã.

79 At Iustus qua ratione plectendus, qui iustitiam nunquam læsit, qui ab eius cultu nomen accepit, & *Iustus* dictus est? cur itaque alumnos suos, gentiles, cognomines affligit? Verum suffert labores iustus: quia

sine

fine ipsis nihil consequi boni potest. Philo Hebræorum disertissimus, affirmat, quòd æquè homini necessarius sit labor, ac panis: fœdera fortassis tunc iunxère, cum Adamo dictum, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Equidem*, ait Philo, *existimo laboris, cibiq; eandem esse vim: nam sicut à cibo tota vita pědet, vnà cum suis actionibus, & affectionibus: ita à labore pendet quidquid in rebus bonum est; ergo quemadmodum, qui vitam sibi prorogare cupiunt, alimenta non negligunt: Ita quotquot quæ bona sunt concupiscunt, laborem magnificant; sicut n. cibus se habet ad vitam, ita labor ad honestatem.* Audiant hæc desides, otioq; stertentes: sine honestate sunt, quia sine labore: ex hoc. n. homini tota honestas: Ideo fastidiebat vitam sine labore Sanctissima Virgo Theresia, cuius in ore fere perpetuò aurea illa verba, tam Sancta Virgine digna, *Vel pati, vel mori.* Renuo vitam laboribus, & ærumnis non cohonestatam. Panis quo viuunt Iusti, labor est. Meritò Rex Hebræus; *Cibabis nos pane lacrymarum.* Otium vitam euitat, quia labori contrarium. Sanctus Zeno iuxta suã versionem expendens verba Sãcti Regis, *Labores fructuum, quia man-*

Phil. Heb. de sac. Abel, & Cain.

Gen.

S. Theres.

Psal.

Zenon. Psal. 127.

manducabis; ex laboribus enim fructus est, non ex fructibus labor: labor ministerium corporis est, fructus verò merces laboris: ministerium autē corporis, incorporale est, licet corpore fiat: nihil edere, nisi quod corporale, possumus, sed propheta nihil de terrenis, & præsētibus tractat; de beatitudine enim timentium Dominum, & in vijs eius ambulantium sermo est: quia in vijs Domini ambulabūt, illi labores fructuū suorum manducabunt: non.n. hic manducatio corporalis est, quia neque id, quod manducandum est corporale est, Sed habemus hic cibum spiritualem, animam nostram in vita alentem, bona scilicet opera sanctitatis, misericordiæ, patientiæ, tranquillitatis, in quibus nobis contra corporum nostrorum vitia laborandum est: horum laborum fructus in æternitate est, sed labor hic ęternorum fructuum ante comedendus est, & quod in vita hac corporali vita nostra alenda est per cibum horum laborum, obtinens panem viuum; panem cælestem ab eo, qui dicit, ego sum panis viuus. Cibus itaque animę labor est, sine hoc languescit illa, ferme in præsentissimo mortis discrimine posita, clamat

Psal. 118. *Agonizauit anima mea præ tædio.*

83 Hùc accedit, quòd dùm *Iustus* cruciatur, nihil agitur contra *Iustitiam*

tiam: volens enim patitur, nulla iniuria infertur volenti. Ad virtutis montem salebrosa via ducit, ad illũ nemo ascendet pede non fatigato: qui ad ima declinat faciliùs, quàm ad sublimia graditur: constans est sophorum sententia, virtutem in fastigio montis sitam. Ita Simonides apud Clem. Alex. *Fama est virtutem habitare in rupibus, difficilem ascẽsum habentibus.* Cum parata, & facilia aguntur opera; tunc non agitur ex virtute, sed cum ascenditur in montem excelsum seorsum à cæteris; nõ enim virtus vulgaris, & vltro occurrens est, sed remota à turba, & in cacumine montis habitans. Iustus sustinere debet libenter omnia, dummodo virtutem lucretur.

Virtus in altis habitat.

Clem. Alex. l. 4. strom.

81 Non patulam sub fagi tegmine hanc margaritam natura exposuit, sed in rupe. Theodoret. *Porphyrius* ait, *Via, quæ ad Deos perducit, ære munita est,* Aurum contemnẽdũ præ hoc ære, viã virtutis muniente. Cypri ait. *Durus, & arduus limes, qui tẽdit ad gloriam.* Et rectè. Quæ enim, pulchritudine, & forma præcellunt cæteris, maioribus sunt difficultatibus obsepta, & interclusa; ita Liliũ in spinis, Rosa in aculeis, Margari-

Cur virtus in montis cacumine.

Theodoret. l. de Græc. affect.

Cyprian. de hab. Virg

ta in concha, in fodinis aurum, in lucta brauium. Ratione ex D. Thoma habes. *Virtus*, inquit, *eſt vltimum potentiæ; id enim quod vltimum potentia poteſt, eſt id, ad quod ducitur virtus rei: vt ſi quis poteſt ferre centum libras, virtus eius conſideratur ſecundum centum libras, non ſecundum ſexaginta.* Egiſti opus bonum, ſed meliùs poteras, adhuc virtuoſus non es. Hæc in ſummo poſita, & in vertice montis: ſine labore, & ſudore ad probitatem etiam partiariam non aſcendes, vndè præcipitatus deſcendit primus noſter parens. Sãctum Laurentium Iuſtinianum audi. *Innocentiæ, & immortalis ſtolam, carnis incorruptibilitatem, animæ puritatem, contemplationis dulcedinem, ſpiritus libertatem, regnum Cælorum; Angelorum contubernium, amicitiam Dei perdidit homo; ad quæ, quamquam ex parte, maxima fatigatione aſſurgit, quemadmodum ex inflicta ſententia dictũ eſt. Terra germinabit tibi ſpinas, & tribulos: in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, nẽpe in ſudore vultus, cõſolationis, & virtutis veſcimur pane.* Perorat: *Meritò igitur ab Angelis honoratus eſt ille, qui diuinæ charitatis flamma accenſus, infatigabiliter intentus concupiſcentias,*

Laur. Iuſtin. in feſt. S. Ioa. Euang.

& adulta vitia, vigore mediante virtutis ex se eradicare conatur, atque terram sui vtriusque hominis ad pristinũ originalis puritatis reformare decorem. Heù quot difficultatibus præpeditur virtutis limes! Comedat panem laboris, qui in fortitudine cibi huius ambulare vsque ad montem Dei cupit.

82. Ad Taboream rupem perueniendum est: hac non superata, virtus nulla erit: pecunia, qua illam emes, labor erit: expelle laboris hostem voluptatem, quam Clemens *metropolim vitiorum* appellat: inter hanc, & virtutem tale diffidium, vt si vtramque habere tentes, neutram habeas. Plato affirmat virtutum semina in homine delitescere. partum cũ dolore sustinet, qui opus virtuosum edit. D. Thomas ait, *Seminaria virtutũ insunt nobis à natura, in quantum rationales sumus*. Vrsa laborat, vt informem molem redigat in mẽbra, & disponat in rectum animal, ita & homo rationi se attemperare debet, vt ferinos, & pecuinos impetus formet in humanos; nam cum á perturbato homine nascitur proles, humana non erit, sed confusa moles, ipsi parenti feralis. Hac de

Clem. Alex l.7. strom. Voluptas vitiorum metropolis.

Plato.

D. Thomas.

Virtus in homine à Natura secundũ aptitudinem à labore perficitur.

causa dicit Sanctus Thomas *virtutes sunt nobis à natura secundum aptitudinem, & inchoationem, non secundùm perfectionem.* Quod illa inchoauit, tu pficies: hic labor est. Clamat Arist. virtutem esse in modo, specie, & ordine. Hausit hoc author profanus à sacro, qui vrtutem in pondere, numero, & mensura posuit: vt numeris omnibus absolutum facias opus, madeat prius frõs tua, larga sudoris vnda necesse est. quis labor? vt in opere disponas, modũ, speciẽ, ordinem: vt illud ponderes, numeres, metiaris: hic est labor necessarius ad virtutem.

Sap. 11. 21.

Virtus in medio.

83 Post laborem superati montis, alius, nec leuior te manet in rupe. non enim quies ibi, sed arena, campus, pugna. Hercule te esse oportet fortiorem, quandoquidem cum duobus hostibus pugnandum tibi est, & vno teli iactu vterque superandus: excessus nimirum, & defectus: qui à fronte, qui à tergo te obsident: nisi strenuè vtrumque confodias, superatur virtus. Quo pacto laurea dignus liberalis, nisi millies iaculatus ab auaritia, à qua, cum se strenuè defenderit, insurgit prodigalitas, vt perimat? Quis erit hic Her-

Hercules, qui tam ferocem hostium rabiem sustineat? Hinc Aristoteles ait, *Virtus est mediocritas horum vitiorum, alterius secundùm excessum, alterius secundum defectum*. Tutior erit in freto Siculo inter Carybdim & Scyllam cymba, quàm inter defectus & excessus virtus.

Aristot. 3. ethic.

84 Hinc vt se ab irruente hoste tueatur, agminatim incedit, ad pugnandum parata: ideò quadratam appellat Iustitiam Clem. Alex. *Est ergo Iustitia quadrata, omni ex parte æqualis, & similis in verbo, in facto, in abstinentia à malis, in beneficientia, in perfectione cognitionis: nusquam vllo modo claudicans, nè videatur iniusta & inæqualis.* Si quadrato agmine, præliaris hæc acies incedet, feliciter pugnabit. Si verò ibit in aliquo sibi nō æqualis, fœdè fugabitur; cum enim à suo ordine discedit, tūc superatur, robur huius exercitus potissimum in ordine quadrato est. Sācti Patres ad virtutum societatem exprimendam diuersis & æquè oportunis similitudinibus vsi sunt. Hieron. appellat *Cæli plagas, quadrigas, monilia. Habeto, ait, Prudentiam, Iustitiam, fortitudinem, temperatiam: his Cæli plagis includere, hæc te quadriga, velut aurigā*

Virtus cum quadrata. Cleme. Alex. l. 6, strom.

Virtutum nexus.

Hieron. ep. 2.

Virtus similis Cæli plagis, quadrigis monili.

Christi, ad metam concita ferat. nihil hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius: gemmæ vertantur in scutum. Ità concludit S. Hieron. ad aciem præliarem,& scutatam alludens:non gladio armatam facit virtutem hic author, sed scuto præcinctam. Virtus magis cum sustinet vincit,quàm cum pugnat;scuto quàm ense valentior:cnm sustinet tela,tunc superat. Ità agminata, & scutis munita virtutum acies incedit, vt tota, vnus appareat clypeus: omnes enim æquè virtuosum custodiunt à vitiorum insidijs. Eò tendit Chrysostomus, totum virtutũ exercitum vni, sed variatæ vesti assimilans. *Non enim constat hæc vestis vno tantum genere,nec seruare licet tãtummodo ex gratia,sed fidequoque opus est, & post fidem virtute*. Eòdem collimauit Cyrill. totum virtum chorum vni coronæ comparans: hùc trahens Isaiæ verba. *Erit corona pulchritudinis in manu Domini sui. Vnamquamque animam*, ait, *Sanctam, coronæ comparare,licet ex multis flosculis cõpositæ,vel regio diademati lapidibus Indicis fulgẽti,quod multiplicẽ habeat,& variam elegantiã;plurimæ sunt enim egregiæ Sanctorum virtutes, & nõ vnũ est ornamẽ-*

Chrisost. in Psal. 44.

Cyrillus.

Isai,

torũ

toru genus, sed multiplex, & diuersum. Tunc quis virtuosus erit, cum ex virtutibus omnibus sertum sibi cōposuit. Quantus hic futurus homini labor, vt se à vitijs custodiat? ipsum quadratum, virtutum agmen, ipsa variata vestis, ipsæ cæli plagæ, ipsa quadriga, ipsum monile, ipsum sertum contestantur.

85 En adest alius labor præteritis forsitan durior, vt victor cohibeatur exercitus. Quoties à victoria luctus? & dum pæana canis, aduertis te victum? Vitiorum victoria delicata est: dum te superasse animaduertis, & virtuosum te putas, in triũpho cecidisti. Præclarè Guericus: *desinit esse virtus, quæ se senserit virtutem esse.* Tandem ex virtutum multitudine durior ferme, & immensus labor: vnà enim incedunt: si vnam cupis hospitio, omnes te accipere oportet, vnum domi habere hospitem, pene nullus labor. quis enim familiariter amicum accipiendo laborat? verum si cum illo hospitum turba accedat, vtique ingens erit labor: nullus in sedibus angulus, quem nō impleat hospes: in triclinijs turbæ mediastinorum, mercenariorum insidiæ, tricæ, vt hospitium in fasti-

Virtutis conseruatio difficilis.

Guericus.

dium vertatur. Ambr. inquit. *Virtutes connexæ sunt, & concatenatæ, vt qui vnum habeat, plures habere videatur.* Expendo ex Ambr. concatenatas esse virtutes. Cum enim facinorosi à prouinciæ alicuius Præside mittuntur ad regiam, vel ad examen, vel ad pœnam, nè in itinere quis fuga libertatē arripiat, vicissim concatenātur, vt vnus alterius sit custos, nec vni, altero superstite, pateat effugiū. si vnus subsistat, subsistunt omnes: Idem de virtutibus dico, vel omnes quis, vel nullam possidet: si earum altera subsistit, nec vltrò procedit, nulla incedit: vnius impedimentum, reliquarum omnium est: glomeratè procedunt, & in custodia cordis, vel nulla, vel omnes. Quantus hic labor in omnium custodia? Augustinus ait: *Virtutes, quæ sunt in animo humano nullo modo separantur ad inuicem.* Cur verò omnium vnus sit incessus, vnum iter? Ex Arist. egregiè D. Thomas. *Morales virtutes ad bonū finem omnes tēdunt.* At quæ sine prudentia probitas, dum hæc consulit, iudicat, præcipit, quæ sunt ad finem? ergo sine illa, nulla virtus. Atqui ad finem quo pacto ordinabitur homo non iustus, fortis moderatus? ea est pru-

Ambros.

August. 6. de Trinit.

D. Thomas.

Prudentia, virtutum nexus.

Digitized by Google

prudentiæ conditio; non est illa, vbi non omnes: nec omnes, vbi non illa. Ceterùm illa agmen ducit: cum illa, & post illam concatenatus, imò & coronatus sequitur chorus virtutũ, vt apud te hospitetur, si iustus eris. Ingens itaque tibi labor, si probus: nec minor, si improbus: laborãdum namque homini est in hac vita, siue bono, siue malo. Sed labor vnius via est ad gloriam; alterius ad pœnam.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, fratrem eius.

Beatitudinem virgo etiam in hac vita delibat.

ANNOTAT. X.

86 PEtro, & Iacobo ad gloriosam Christi metamorphosim comes adsciscitur Ioannes, quia virgo, & corde mũdus; His enim ferme ex pactione diuina debetur beatitas. *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Renuit agnus sine macula vel in montem ascendere, vel per

Virginibus debetur beatitatis participatio.

Matth. 5.

amœ-

amœnos Cælorum campos spatiari, vel gloria perfrui sine virginũ cœtu, Ioanne horum omnium teste oculato, *Vidi supra montem Syon Agnũ stantem: cum eo centum quadraginta quatuor millia. Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quòcũque ierit.* Nulla agno via patet, quæ Virgines lateat: virginibus, & agno eadem via, idem terminus est. Virgo dum viuit, & carnis sarcina grauatur, veluti auis est, cuius in alis premens lapillus volatum impedit: illo abiecto, surgit ad sublimia læta, & per æthera spatiatur. mortem cupit virgo, vt posito graui corporis onere, cum agno feratur ad astra, illius per Cælorum spatia iam adscitus comes. Ita Gregorius. *In montem cum agno esse dicitur, quia per meritum incorruptionis, quò à terrenis, & carnalibus delectationibus se diuidunt, eò in æternæ redemptionis gloria sublimantur.* Gaudét Virgines Christo, quippe Christi ex vtroque parente gentiles: quia virgo mater, quia virgo pater, nam *prima trias virgo est* inquiebat apex ille Theologorum Nazianzenus.

Virginés, veluti aues, in Cælum euolant.

Gregor. in 1. Reg. cap. 15.

87 Sed heu conqueritur virgo, quod nimium in terra deserta, in loco horroris, incolatus eius prolonga-

ga-

gatus sit. ergo nè tamdiù præstolabitur gloriam, Dei gentilis? Hic illi dabitur, si non consummata, saltem delibata beatitas: mors illi non appetenda & miseriarum exitus, vt perfruatur Deo: inter vitæ huius ærumnas & miserias virgo magnæ illius cœnæ gustulum prælibabit, famem expleturus in Cælis. Eleganter Cyprianus, *Quod futuri sumus, uos esse cæpistis: vos resurrectionis gloriam in ipso seculo iam tenetis: per seculum sine seculi contagione transitis, cum iustè perseueratis, & virgines Angelis Dei estis æquales, dummodo maneat, & duret solita, & illæsa virginitas.* Virgines effectu Angelis æquales, caussa nobiliores sūt ipsis; quippe Angeli Virgines è natura, homo à gratia.

Virgines prægustant resurrectionē ante mortē.

Cyprianus.

Virginitas in homine, quā in Angelo nobilior.

88 Elias assumptus à Christo in montem ad delibandam gloriam, vnus ex omnibus prisci illius æui prophetis, solū quia virgo: sic Ambrosius. *Elias nullis corporei coitus fuisse cupiditatibus reperitur, ideo cum Domino apparet in gloria.* Hic agmen colligit dux virginum, vt cælesti militiæ, æuo futuro adiungat. Ioanni, qui inter virgines collucet, vt inter astra sol, præcipuè congruit mōs iste Taboreus: nemo enim de glo-

Elias, & Ioānes, quia Virgines euecti ad montem.

Ambro. 1. de Virg.

rio-

riosissimis Christi corporis dotibus aptiùs, quàm Ioannes virgo contestari poterat, cuius vultus Christo similis, cuius lumina aquilina: qui gradientem super mare Christum solus agnouit, virginem virgo.

Angeli cur nõvisi inmõ te Taborino.

89 Ex dictis colligo, qua ratione in monte desiderantur Angeli, vt & ipsi testes forent gloriosæ visionis. Adest Pater Christi diuinitatem testificans. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Non mors, non vita impedimento est, quin accurrant ad gloriosum spectaculum Moyses, & Elias. Cur igitur non aduolant Cælites: cur non festinant ad videndam Christi formam, cuius vultum desiderat vniuersa terra? quem nondum natum ascendentes, & descendentes Angeli, in auo auet videre, & in Iacob aspicere, futurũ Christum: in Iacobæa scala ascendunt, & descendunt Messiam visuri: vnde ait ad Nathanael Christus. *Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes super filium hominis*. Modò nõ occurrunt ad eius pulchritudinem videndam, quam astra mirantur. Quem tantopere desiderastis aspicere, cur non aspicitis? Adfuistis infanti turmatim gloriosi alites, col-

Ioan. 1.

li-

ligentes Dei flentis lacrymulas: adeste nunc iuueni, plaudite glorioso: accurristis ad desertum, spectaturi inuictum ducis vestri certamen, manus cum dæmone conferentis, de hoste egregiè triumphantis, cibaria ministraturi esurienti. Accurrite ad Taboreũ mõtẽ, glorificato. vos Angeli pacis aduolastis ad cliuũ Caluariæ, ploraturi Christi mortem, parentaturi Duci, homini Deo iusta soluturi. Aduolate ad montem, designatum gloriæ filij Dei proscenium. Porrò cum putarem montem refertum cælesti militia, confluentem illicò cælitum exercitum, montis sumitas, limites, vias, quà ascenditur, quà discenditur, referta beatis Spiritibus, nullũ ibi adfuisse lego: præsentes non tacuisset Euãgelista Angelos, qui diligentissimè recensuit homines. Non audeo affirmare desideratos in monte cælites speculantes Christi vultus; adfuère, sed clàm præ Ioanne: timentes nè contentio aliqua suboriretur, quis eorum videretur esse maior, virgo an Angelus, cum æquales esse diuino iudicio definitum sit. *Qui neque nubunt, neque nubentur erunt sicut Angeli Dei.* Itaque prudenter sibi cõsulunt Angeli,

Virgines dã Angelis de æqualitate contendunt.

Matth. 22.

geli,

geli, clàm lustrantes sanctissima hęc mysteria: nec quidem administratorij spiritus ministerio suo desunt. Adest virgo, Angelorum vicarius, qui puritate virginali cælestem naturam exhibeat. Adest signanter Ioannes, qui vnus personam omnium Angelorum referat.

Virgines Angelorum vicarij.

90 Congruebat etiam Ioanni virgini assumi in montem. Ipse, præ cæteris, opportunior diuinæ, & humanæ generationis futurus testis: vnius quidem, quia nouerat Christi matrem: alterius, quia noscebat Patrem: vtriusq; quia virgo. Hùc allusit fortasse Sanctus Ambrosius. *Christus ante virginem, Christus ex virgine: à patre quidem natus ante secula; sed ex virgine natus in secula: illud naturæ suæ: hoc nostræ vtilitatis est: illud erat semper, hoc voluit.* Virgo igitur testetur virginalem originem. Hinc idem Ambrosius virginitatem laudat, *Non quia in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres facit.* Virginitas fidissimos nedum dat, sed facit testes. virgo non cruore, sed candore martyr est, & testis: testimonium aptius candor, quàm cruor exhibet. Dei gentilis est virgo; ad ipsum testificari diuinam originem spectat,

Vtraq; Christi natiuitas ex Virgine virgini cognita. Ambros.

Virgo Dei gentilis, & concælestis.

quis

quis enim veriùs Galli, vel Hispani originem testificabitur, quàm conterraneus, & gentilis? ob vtrumque Dei virginalis originis erit virgo testis idoneus.

91 Cæterùm mõtem Taboreum, Cæli symbolum iure sibi vendicat Virgo: nam virginibus Cælorum regnum simile esse perhibetur; quidquid igitur ad Cælos pertinet, pertinet ad Virgines. Hùc itaque vocatur Ioannes, non vt visionis tantummodo speculator; verùm vt sibi, & virginibus, Cælos incipiat possidere. Nesciebat Petrus quid diceret, quãdo & figere subsellia, & facere tabernacula, eademque dispẽsare molitur. Struat tabernacula Ioãnes virgo, vt possessionem capiat; Regnum enim Cælorum illis datum est, qui in puritate repræsentãt Cælos, *simile n. est Regnum Cælorum decem virginibus. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.*

Regnum cælorum, cur simile, decem Virginibus.

92 Sed cur fatuis virginibus simile dicitur Cælũ? profectò in magnũ virginitatis encomiũ hoc cadit. Sensus verborum ille videtur, talem esse virginem, vt etiam in peccati cœno, aliquo pacto repræsentet Cælum. Itaque Virginitas quamuis non sine no-

Virginitas vtilis enim malis.

noxa, diuinam benignitatem non demeretur: non quidem ad gratiam, aut ad gloriam, cuius sine charitate nemo fit particeps, sed ad temporale aliquod bonum: idque ratione nitoris, quo splendet virgo etiam fatua. D. Gregorius à me est, sic de puritate loquens. *Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec bonum opus est aliquid sine castitate*, docet bona opera sine castitate omninò nihil. *Non sunt aliquid*, De castitate verò bonis operibus viduata, immutatur locutionis forma, *Castitas, ait, sine operibus bonis nō est magna*, ac si diceret. maxima virtus puritas bonis operibus ornata, quippe *à Cælis accersita est, vt illam imitaremur in terris*. At eadem sine operibus bonis, non quidem magna est; vbi tacitè innuit quamuis non magna: aliquid nimirum est puritas, quod ipsi Deo, & hominibus æstimationi sit, quæ etiam est gloriæ, & Cælorum symbolum. Tertull. ait, *Si gloria viri est mulier, quantò magis virgo, quæ tibi gloria est.* Paradisum, & gloriam aliquo pacto secum fert virgo, dum fert puritatem: Heù margarita in luto! sed lucet, dum in hac vita, Cælorum similis perhibetur.

Gregor.

Tertullianus de Vel. Virg. Virginum Priuilegia,

93 Mira sunt quæ Deum patrasse in virginitatis honorem, vel tutamẽ legimus. Sybillis collatum Prophetiæ donum ob virginitatis decus, affirmat Hieronymus. *Quid referam decem sybillas, quarum insignis virginitas est, & virginitatis præmium diuinatio.* Decreuit quippe Deus, vt gentes, quæ eloquia non haberent sacra, haberent virginea, quæ gentibus arcana diuina proderent. Claudia Vestalis stupri apud iudices postulata; in pudicitiæ suæ testimonium nauem, quam multi homines de Tiberi extrahere non potuerant, cingulo illa facillimè traxit. Immeritis, & infidelibus collata hæc beneficia, fateor, verùm Dei voluntate peractum, vt vel ex eo commendaretur virginitas. Assumitur itaque Ioannes in montem, quia virgo; cui nedũ congruit Cælorum symbolum, mons Tabor: sed ipsamet gloria cælestis; cum prudens sit non fatuus virgo, & illius puritatis filius, quæ non modò similis, sed superior erat cælis. Virginum priuilegia.

noxa, diuinam benignitatem non demeretur: non quidem ad gratiam, aut ad gloriam, cuius sine charitate nemo fit particeps, sed ad temporale aliquod bonum: idque ratione nitoris, quo splendet virgo etiam fatua. D. Gregorius à me est, sic de puritate loquens. *Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec bonum opus est aliquid sine castitate*, docet bona opera sine castitate omninò nihil. *Non sunt aliquid*, De castitate verò bonis operibus viduata, immutatur locutionis forma, *Castitas, ait, sine operibus bonis nõ est magna*, ac si diceret. maxima virtus puritas bonis operibus ornata, quippe *à Cælis accersita est, vt illam imitaremur in terris*. At eadem sine operibus bonis, non quidem magna est; vbi tacitè innuit quamuis non magna: aliquid nimirum est puritas, quod ipsi Deo, & hominibus æstimationi sit, quæ etiam est gloriæ, & Cælorum symbolum. Tertull. ait, *Si gloria viri est mulier, quantò magis virgo, quæ tibi gloria est*. Paradisum, & gloriam aliquo pacto secum fert virgo, dum fert puritatem: Heù margarita in luto! sed lucet, dum in hac vita, Cælorum similis perhibetur.

Gregor.

Tertullianus de Vel. Virg. Virginum Priuilegia,

93 Mira

93 Mira sunt quæ Deum patrasse in virginitatis honorem, vel tutamẽ legimus. Sybillis collatum Prophetiæ donum ob virginitatis decus, affirmat Hieronymus. *Quid referam decem sybillas, quarum insignis virginitas est, & virginitatis præmium diuinatio.* Decreuit quippe Deus, vt gentes, quæ eloquia non haberent sacra, haberent virginea, quæ gentibus arcana diuina proderent. Claudia Vestalis stupri apud iudices postulata; in pudicitiæ suæ testimonium nauem, quam multi homines de Tiberi extrahere non potuerant, cingulo illa facillimè traxit. Immeritis, & infidelibus collata hæc beneficia, fateor, verùm Dei voluntate peractum, vt vel ex eo commendaretur virginitas. Assumitur itaque Ioannes in montem, quia virgo; cui nedũ congruit Cælorum symbolum, mons Tabor: sed ipsamet gloria cælestis; cum prudens sit non fatuus virgo, & illius puritatis filius, quæ non modò similis, sed superior erat cælis.

Virginum priuilegia.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum.

In ipsa tribulatione, iustis Beatitis aliquod gustulum.

ANNOTAT. XI.

94 IMmutato Euangelistæ ordine, qui in recensendis Apostolis, ætatis, quàm meritorum rationem fortassis sequitur: post Ioannem numero Iacobum, dignum qui præeũtem virginem sequatur ad triumphum: Patientes enim post virgines gradiuntur ad montem, Christi comites. Egregiè Damianus, *Et si Agnũ (inquit) non valetis sequi quòcunque ierit, tamquam virgines: sufficit vobis imitari per viam patientiæ, quæ profectò per mortem transit in resurrectionem vitæ.* Vindicat sibi Patiens Virginitatis decus pressuris; nam tunsionibus, & pressuris expolitur lapis, qui à natura non lucet. Virgo Cælis similis: Patiens auro, quod obscurum est, & nisi probetur igne, non splendet. Ioanni mos Taboreus fermè debebatur, quia Cælorum similis:

Patientia cæli via. Dam. l. 8. ep. 14.

Puritas innata Virginibus: in patiente iactitia est.

Iacobo, quia patiens: vtriusque exẽplar Christus & Virgo, & patiens. Hæc via peruia omnibus, illa cælitibus tantùm: huic vt insistat Christianus oportet. De ipso Christo dicitur: *Oportebat Christum pati, & ità intrare in gloriã suã.* Hac via qua dux incedit, incedat & miles: nec ad gloriã peruenit Christus nisi per Crucis limitẽ; priùs ab homine vir dolorum agnitus, quàm ab Angelis Rex gloriæ adoratus. Præclarè Tertullianus: *Christus fauos post fella gustauit, non ante Rex gloriæ à Cælestibus salutatus est, quam Rex Iudæorum proscribitur in Cruce.* A Cruce euolat Christus ad Cælum, Latronem secum ducens crucis socium, vt illicò credatur à ligno regnasse. Qui à curru felicitatum ascendit ad Cælum, surripit, & furatur gloriam: qui à cruce, currit ad illam, tamquam debitum sibi festinat ad præmium. Sãctus Ambrosius id discriminis ponit inter Christum, & Eliam, quia vnus à Cruce, alter à curru translatus in Cælum: ait. *Non Elias Christus: Ille rapitur: Iste regreditur. Ille per turbinem rapitur: Iste non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Tutiùs itaque intrat Cęlorum Regnum ho-

Christus prius Rex Crocis, quam gloriæ.
Tertul. de coro. milit cap. 14.

Cælum sine tribulatione petete, rapina est.
Ambrosius

mo cum Christo, quàm rapiat cum Elia, cui Cælorum fores vsque adhuc non patuere.

95 Christus Paradisum, vt princeps ingrediens, illos agnoscit subditos, illas oues suas, quæ à tribulationum pascuis remeant: hos suo cruore signat, nè à percussore Angelo per AEgyptum transituro, timeant. Hos vidit Ioannes Cælorum incolas niuea veste indutos: de his accepit diuinum responsum. *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni.* diuino cruore purpuratos vult ciues suos hic princeps. Corona spinea coronatur, vt si cælites detrectent tribulatos agnoscere, in principis corona legât hos cæli ciues, & Christi domesticos. Certus est de prçmio miles, qui sub tanto duce fecit stipendia: vinci nescit qui sub Crucis vexillo, & spinarum corona pugnat. Hùc allusit Ambrosius, *siuè afflictatio, siuè tribulatio opus est, vt nos maneamus in domino, nec ab eo recedamus; quoniam præsule domino, & assistente nobis, omne certamen possumus sustinere.*

Corona spinea coronantur regni cælestis heredes.

Ambrosius in Psal. 43.

96 Vexati tribulationibus, securi subeant beatitudinis montem; illis enim

Tribulatis perpetuo

enim consulit Deus, non modo, vt dux militi, nè in pugna cadat; sed vt cathedraticus sustinenti theoremata, nè inuadenti acutis argumētationibus succumbat. non frangitur oppositionibus talem nactus magistrum: vnde subdit Ambrosius. *Assistente nobis, omne certamen possumus sustinere*. Magister illuminat mentem, voluntatem firmat. *Firmabo super te oculos meos*. Quando spes cum tribulatione iungitur, tunc efficax formatur argumētum, tribulatum fore beatum, *Spei addita tribulatio argumētum facit præmij: index enim fixæ spei tribulatio est, quæ testimonium perhibet ad coronam, vnde Dominus ait: Beati eritis, cum vos persequentur, & dicent omne malum aduersum vos propter iustitiam Dei: Gaudete, & exultate: ecce enim copiosa merces vestra in Cælo.* Cum tribulato cruci affixo spes configitur, quò securior sit de præmio; apud iudicem enim pro tribulato spes confixa clamat, instat, vt protinus cælestibus insulis decoretur. Explorata est Regni promissio tribulatis: dummodo quis in tribulatione perstiterit, habeat spem fixā, quæ tribulationē cōtestetur, tūc securus erit de Regno, & de corona.

Deus adsistit.

Ambros. in ep. ad Rom. cap. 5.

Tribulatio testis pro tribulato ad Regni consequutionē.

97 Addo quòd lapis, vt vrbis cælestis structuræ seruiat, ad ordinem, & lineam locandus erit. Id sine plurimis tunsionibus, ac pressuris non fiet: sic Ecclesia eleganter canit.

Tribulatio aptat hominem ad vrbis Hierusalem ædificium.

Scalpri salubris ictibus,
Et tunsione plurima
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt.
Aptisque iuncta nexibus
Locantur in fastigio.

Sancti tunsione, ac ictibus merentur in fastigio collocari: de his suscitat Dominus filios Abrahæ, quos locat in beatitatis monte. Egregiè Damianus. *Nota siquidem est illa regularis superna iustitiæ linea, qua inuisibilis arbiter eos in hac vita temporalis ærumnæ flagellis erudit, quibus tradere perpetua hereditatis iura disponit: eosque, tamquam seruos duris verberibus afficit, quos vt filios, in patrimonium propriæ possessionis adsciscit.* Christiane, verbera sustine, vt seruus: si hereditatem possidere vis, vt filius: vt ad lineam struaris magni artificis, tunsiones, & pressuras patere: quia tunc attemperatus tantæ moli, quādo malleo contritus.

Dam. ep. 14. l. 8.

98 Vetus fabula erat: Neminem inter Deos adsciscendum, nisi priùs am-

Calix tribulationū, am

ambrosia cibatum, potatum nectare. hoc cibo, hac potione censebat antiquitas donari immortalitate Deos. Narrent iniqui fabulationes: lex diuina iubet, vt nemo ad beatitudinẽ tribulatione, & opprobrijs non satiatus tendat: cuius pingitur in manibus Calix, adoretur vt diuus: quia, vt ait Caietanus, *Calix tribulationis prælibatio est glorificationis*. De Ambrosia hæc Ambrosius. *Bibe ergo primùm tribulationem. Bibe hoc primũ, vt bibas secundum; quoniam lætitiæ tribulatio sæpè succedit, & lætitia tribulationi: denique, qui tribulatione non frãgitur, & legem sequitur, beatus est.*

brosia immortalitatis

Ambros. in psalm. 7.

99 Sed mitto fabulas, ad sacra redeo: Christianos precor, vt auaros, mercatores, & ad lucra eruenda industrios, imitentur. hi rusticis frumentum credunt, vt illud ingenti cũ fœnore, messis tempore ad horrea sua redeat: cur filij lucis sustinent, vt filii huius seculi prudẽtiores sint: nos momentaneum hoc, & leue tribulationis Deo non permittimus, recepturi æternum gloriæ pondus? dabit enim Christus *in tempore: mensuram confertam, coagitatam, supereffluentem in sinum vestrum*, Eleganter Damianus, *Qui bona operatur, & flagel-*

Tribulatio bona vsura cum Deo.

Damianus.

gellis atteritur, certus iam non immeritò de retribuenda sibi conferta, & coagitata laborum suorum mensura lætatur, quia tantam, post in patria, creuisse summam fœneris inueniet, quantam prius in vita ne stipendium quidem proprietatis accepit. Morosus creditor à debitore nihil exigit, vt & sortem, & fructus vnà recipiat: caueat Dei seruus in hac vita à prosperis: omnia enim cum fœnore immẽso recipiet in Cælis.

100 Repeto certum esse de Beatitate qui sustinet pro Deo mala. tribulatio lux est, quæ arcana prædestinationis fermè detegit. Finge in summi præsulis pectore destinatum aliquem in purpuratorum numerũ: huic nullus exhibetur honor, nullus datur cultus: at cum primùm Pontificis ore inter purpuratos numeratur, vnusquis currit adoratum, honorem, & cultum purpura dignũ exhibens. Iacobus ab æterno electus tunc declaratur beatus, cum tribulationis calicem potaturum se spondet. Tribulatio beatitatem futuram prodit, Ita Regius vates; iuxta Aug. versionem. *In die mandauit Dominus benedictionem suam, & nocte declarauit* Quæ hæc nocturna declaratio, quæ in

Beatitudinis certitudo à tribulatione

Matth. 20.

Psal. 41.

in tenebris splendere facit diurnam benedictionem? *Non declarauit*, ait Augustinus, *misericordiam suam per diem mandari, nisi per noctem, cum venerit tribulatio*. Lucent tenebræ tribulationum: nox ista illuminans est dies, quo clarescunt arcana diuina: in nocte splendet latens iustitia: in obscuro tribulationis, iusti labor sole ipso lucidior micat.

101 Tribulatos æternæ felicitatis candidatos affirmo; *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos: gaudete, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis*. Maledicta contra Iustos, in bene facta pro iustis vertūtur: cum homo dixerit contra vos omne malum, vos acquiretis omne bonum. Iacob quando claudicat in terris, currit ad cælos: quando cæcutit, videt Deum, & Israel dicitur. Abraham tunc natam præuidet sibi ingentem nepotum multitudinem, cum Isaac fermè denatum in sacrificio videt. Iob de beatitudine certus, cum saniem testa radit: tunc canit: *Scio quod redemtor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Saluatororem meum*: re-

Matth 5. Tribulatis beatitudo nũcupatiuã.

Gen. 32.

po-

posita est spes mea in sinu meo. Ingens sinus, qui & saniem, & beatitatem vnà complectitur: vtramque stringit, quia indissolubilis est vtriusque nexus.

102 Tandem ad cæleste procœniũ sancta, congrua, & efficaci vocatione non sunt acciti, qui in hac vita abũdant diuitijs, quibus oues fœtosæ: horrea plena, torcularia redundantia: sed claudi, cæci compelluntur cœnam intrare. Audi Sanctum Bernardum: *compelluntur multi varijs necessitatibus, & oppugnationibus afflicti: quia mera Dei prouidentia, dum temporalem pœnam patienter sustinent, vitam consequuntur æternam.* Suauiter disponit, fortiter attingit numen; quando nos tribulationibus tangit. Porrò si errat homo per mũdi deuia, viam veritatis ignorans, quis errantem reducit in rectam? tribulatio. Audi Regium Psaltem, *Tribulatio, & angustia inuenerunt me, subdit: Mandata tua meditatio mea est.* hæc via ad Cælum complanata: illæ oues ex Dei ouili, quæ factæ sunt oues occisionis: *cum occideret eos quærebant eum & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum:* Ex stricto Dei ense in nos, expergiscimur, & dilu-

Tribulati cõpelluntur cælum intrare.

Bern. li. sen cap. 2.

Psalm.

culum videmus. Vt signet hanc notationem, redeat Caietanus. *Calix passionis prælibatio est glorificationis.*

Duxit in montem excelsum seorsum.

In secessu quies, & delibata beatitudo.

ANNOTAT. XII.

103 TRes ex Apostolis tantummodo subeunt cum Iesu montis verticem, reliqui quiescunt in planitie. Par erat vt illi delibarent beatitatem, & contemplationis quietem prægustarent, qui epoto tribulationis calice, superatis carnis illecebris, repudiatis mūdi diuitiis, triumphassent de dæmone. Diuina lege cautum est, vt nemo non expertus Lyæ labores, ad pulcherrimos Rachelis amplexus admittatur. Egregiè Gregorius. *Iacob pro Rachele seruit, & Lyam accipit. Non est consuetudinis in terra nostra, vt minores ante tradamus ad nuptias, quam maiores; Rachel, Risus: Lya, laboriosa dicitur.* Lya Rachele maior, non quia ætate tan-

Ad montem beatitatis post labores peruenitur.

Greg. l. 7. moral. c. 18. Genes. 29.

tantum, sed quia fæcunditate sublimior. tribulatio ipsa felicitate nobilior, quia fæcundior: homo positus in loco horroris parere merita potest: beatus esse non potest: Bonis, quę parturijt tribulatus, fruitur beatus. Beatitudo laboris & filia & heres est.

Theresia vacantes orationi volebat vt magnos haberent animos.

104 Nemo in planitie manens ad contemplationis quietem aspiret; Theresia Sanctissima virgo hortabatur alumnas suas, quæ orationi incumbebant, vt magnos haberent animos; elatos spiritus: quippe ad ingentia natæ, & ad cælos destinatæ. Despicit sponsus cælestis sponsam, quæ abit post vestigia gregum, & non aspirat calcare vestigia Angelorum. Ideo Christus ad montem ducit suos, vt vilescat illis planities, & mótis coronidem ambiant. Theophylactus ait. *In montem excelsum ducit illos, vt ostenderet, quod nisi quis exaltatus, non est dignus diuinis contemplationibus*. Euolet supra mundũ, & supra se: qui ad montis felicitatem contéditipse de se sibi scalam struat ad montis cacumen. Ita facer ille eremicola, factus & gradus, & gradiens: de quo hæc Ieremias. *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuabit se super*

Theophil.

per

per se: Nullius indiget, qui se ipsum calcat: ad montem felicitatis volat, qui per se calcatum pergit; qui mundum minorem conculcat, calcauit iam maiorem, & de vtroque triumphauit, difficilior est de minore, quàm de maiore mundo triumphus; acriorem enim pugnam sustinemus à nobis, quàm à mundo.

105 Descendat de monte, Cælorum contermino, qui vtrumque mundum non superauit, & omnes affectus, omnes animi perturbationes non vicit: nulli motus, impetus nulli in hoc Olympo, sed summa quies. Perperam Moses ascendit montem Sinà, pede calceato. Ad rubum Dei delitescentis tentorium, homo non perget, nisi nudo gressu. Petrus, dum in mõte est, & montem non calcat pede puro, nescit quid dicat, nescit quid faciat: tunc sapit. quando cum cæteris meticulosus in faciem cadit. Prisco illo & veteri æuo sat erant ad quietem excalceati pedes: nouo, mens ipsa non quiescit in diuinis, nisi velato vultu, nisi affectibus denudata humanis: non pedibus, sed alis mons hic pertingitur. Tunc ascendit montem excelsum seorsum homo, quando sine curis

sine

sine affectibus ascendit. Absint animi perturbationes ab hoc Olympo: nulla nubes hoc Cælum exasperat: nulli ibi flatus, nulla tempestas: pax vbi sũma, & imperturbabilis quies.

106 Montis Tabor tellus, æquè ac illa Sinay sancta est: si in illa excalceatus Moyses latentem in rubo dominum veneratur: in hac Apostoli prostrati dominum nube cælatum adorant. sic vnusquisque numen colat, & sciat & tempus, quo adorat, & locũ, in quo reueretur, sanctum esse. idest liberum ab affectibus, & feriatum à curis omnibus; sic nos in monte excelso, & seorsum sumus. Friuola excusatio mortalium est, qua culpant tempus, quia prauum, locum, quia inquietus: Cuncta sancta sunt Sanctis: peruersa peruersis. Tellus Hebræis iubilæi tempore sancta erat, dum non sata, nec culta vberem reddebat segetem, humus vltrò fructus dabat, vt homo laborem, quem illi destinauerat, Deo sacraret. Sãcta erat sic Deo, sic homini seruiens, vt à terrenis liber, totus vacaret diuinis. gaudebat tellus non fatigata vomere, non aratro scissa, non pulsata ligone, frugum diuitijs respondere, virentem herbam, lignum pomife-

rum

rum,fructus suaues proferens. Tempus etiam, & illud suo modo sanctũ est, dum à Deo benedictum impellit mortales vt ei seruiant, hebdomada maior, quia nobis sacra mysteria repręsentat, habuit sanctitatis nomẽ. Sabathũ ostendens Hebræis quo pacto Deo feriandum esset, à Deo benedicitur. Christianis & Deo sacris, perpetuum est sabatum feria, & quies, dies quælibet. Augustinus hæc ait. *Denique ipse nec cum creauit, defessus est, nec cum cessauit, refectus est, sed nos voluit per scripturam ad quietis exhortari desiderium, intimando nobis eum diem se sanctificasse, in quo quieuit ab omnibus operibus suis: Nam nusquã omnium sex dierum, quibus creata sunt omnia legitur aliquid sanctificasse, nec ante ipsos sex dies vbi scriptum est. In principio additum est, & sanctificauit: sed diem, in quo requieuit ab omnibus operibus suis, quæ fecit, sanctificare voluit, tamquam & apud ipsum, qui nihil in opere suo laborat, plus quies, quàm operatio valeat.*

Sabathi dies cur benedicta.

Aug. lib. 4. de Gen. ad lit.

107 Sed cur tanta solitudo, & celsitudo huic monti? in solitudine quies est, scenam adornat hic numẽ, vt in terris exhibeat quæ gesturus est in cælis. Eusebius Emissenus hic.

Solitudo laudatur.

Trans-

Euseb. Emiss. hic. *Transfiguratus enim dominus, talis tūc in monte istis tribus apparuit, qualis post hanc vitam in Regno suo cunctis suis fidelibus apparebit.* Clariùs, & elegantiùs Paschas. *Neque simpliciter dictum, quòd transfiguratus est: quia trāsfiguratus est ante eos. Vtiq; qui ascenderūt cū eo super montem excelsum secretò, seorsū ab omni frequentia seculi, ac strepitu terrenæ perturbationis segregati; quia licet Iesus in valle humilitatis venerit, tamen rectè non nisi supra montē etiā crucifixus conspicitur; nam & Isaac in figura Christi cum offertur, non nisi in monte oblatus legitur: idcirco hoc loco quod gessit, & miraculum corā videntibus, quod refulsit, ipsa res, gesta longe altiùs quā ipsi viderant multa designauit; itaut locus, & ipsa transfiguratio altitudinem insinuet Deitatis, vt ibi transformatio fieret, vbi altitudo iudicij figuraretur, & cōtemplatio veritatis appareret.* Christus in valle natus, in mōte denatus, vt ostenderet nos ortos laboribus, posse quietè mori. Subeamus montem Tabor, vbi sit nobis aliqua quies: qua lucrari possimus æternam requiem.

Paschas.

Christus cur natus in valle.

108 Cæterum hæc triga Apostolorum, quia seorsum ab hominibus proxima est cælis; secessus enim à cu-

Cælis propinquos nos facit secessus à curis.

curis, & cõtemplatio nos propè cœlos facit accedere. Audi Bernard. raptum ad huius cõtemplationis montem fermè ad beatitatem, *O verè quietis locus! ò si durasset! visio ista non terret, sed mulcet inquietam curiositatẽ: non excitat, sed sedat; non fatigat sensus, sed tranquillat: hic verè quiescitur; tranquillat Deus, tranquillat omnia, & quietum aspicere, quiescere est.* Cum emersit homo ab huius mundi Oceano, vbi obrutus fere vndis curarum secularium, tunc tenet portum felicem, cælum ipsum. Securus à tempestate est, qui in conspectu Dei tranquillantis omnia manet, sed gustulum hic beatitatis datur, in cælis procœniũ. Errat Petrus, dũ tabernacula hic parare molitur. Bernardus clamat, *ò si durasset! Cœna paratur Beatis. Sat nobis est, si illam libamus in terris.*

Bern. serm. 23. in cant;

Portus ab Oceano mũdi, quies.

Bern.

109 Sed de loco vbi gustatur beatitatis vnda, idem Bernardus. *Sed est locus vbi verè quiescens, & quietus cernitur Deus, locus omninò non iudicis, non magistri, sed sponsi, & qui mihi quidem (nam de alijs nescio) planè cubiculum sit, si quando in illud contigerit duci, Sed heù rara hora; & parua mora; clarè ibi agnoscitur misericordia*

Iustus vbiq; quiescit.

 Dei

Euseb. Emiss. hic.

Transfiguratus enim dominus, talis tũc in monte istis tribus apparuit, qualis post hanc vitam in Regno suo cunctis suis fidelibus apparebit. Clariùs, & elegantiùs Paschas. *Neque simpliciter dictum, quòd transfiguratus est: quia sTãtfiguratus est ante eos. Vtiq; qui ascenderũt cũ eo super montem excelsum secretò, seorsũ ab omni frequentia seculi, ac strepitu terrenæ perturbationis segregati; quia licet Iesus in valle humilitatis venerit, tamen rectè non nisi supra mõtẽ etiã crucifixus conspicitur; nam & Isaac in figura Christi cum offertur, non nisi in monte oblatus legitur: idcirco hoc loco quod gessit, & miraculum corã videtibus, quod refulsit, ipsa res, gesta longe altiùs quã ipsi viderant multa designauit; itaut locus, & ipsa transfiguratio altitudinem insinuet Deitatis, vt ibi transformatio fieret, vbi altitudo iudicij figuraretur, & cõtemplatio veritatis appareret.*

Paschas.

Christus cur natus in valle.

Christus in valle natus, in mõte denatus, vt ostenderet nos ortos laboribus, posse quietè mori. Subeamus montem Tabor, vbi sit nobis aliqua quies: qua lucrari possimus æternam requiem.

Cælis propinquos nos facit secessus à curis.

108 Cæterum hæc triga Apostolorum, quia seorsum ab hominibus proxima est cælis; secessus enim à cu-

curis,& cõtemplatio nos propè cœlos facit accedere. Audi Bernard. raptum ad huius cõtemplationis montem fermè ad beatitatem, *O verè quietis locus! ò si durasset! visio ista non terret, sed mulcet inquietam curiositatẽ: non excitat, sed sedat; non fatigat sensus, sed tranquillat: hic verè quiescitur; tranquillat Deus, tranquillat omnia, & quietum aspicere, quiescere est.* Cum emersit homo ab huius mundi Oceano, vbi obrutus fere vndis curarum secularium, tunc tenet portum felicem, cælum ipsum. Securus à tempestate est, qui in conspectu Dei tranquillantis omnia manet, sed gustulum hic beatitatis datur, in cælis procœniũ. Errat Petrus, dũ tabernacula hic parare molitur. Bernardus clamat, *ò si durasset! Cœna paratur Beatis. Sat nobis est, si illam libamus in terris.*

Bern. serm. 23. in cant;

Portus ab Oceano mũdi, quies.

Bern.

109 Sed de loco vbi gustatur beatitatis vnda, idem Bernardus. *Sed est locus vbi verè quiescens, & quietus cernitur Deus, locus omninò non iudicis, non magistri, sed sponsi, & qui mihi quidem (nam de alijs nescio) planè cubiculum fit, si quando in illud contigerit duci, Sed heù rara hora, & parua mora; clarè ibi agnoscitur misericordia*

Iustus vbiq; quiescit.

Dei ab æterno, & vsque in æternum, super timentes eum. Cubiculum, & cellula, mons Tabor Bernardo erat; ibi intuebatur numen, non vt iudicem, & magistrum, sed vt Sponsum. Nulla ibi censoria corrigens virgula, nullæ Iudici secures solutæ, nullus metus, sed meri amores, & delitiæ.

Quies reperiri potest in omni statu.

110 Dices claudus sum, montem non peto. Pater familias, non possum seorsum esse à seruis, à liberis, ab vxore. Iudex sum, abesse non possum à foro; Igitur proscripta mihi erit hæc quies. Nè sollicitus sis de monte, in lectulo si infirmus, in domo si pater familias, in foro si Iudex, in aula si princeps, in acie si miles, vbique si sapis, montem, ac solitudinem inuenies. Audi quid de lectissima fæmina Iudith dicat Damianus. *Adbuc vsque in religionem processerat, vt iam non sola, sed cum ancillis suis fieret eremita: de domo communi, reclusorium fecit.* Sed quis hic artifex, qui in multitudine formauit eremum? Respondet idem. *Amor in populari urbe solitudinem reperit.* Modum Bernardus docet. *Tu solus eris in quacumque hominis versaris præsentia; tantum caue alienæ conuersa-*

Dam. lib. 8. ep. 14.

Bernar.

uersationis, aut esse curiosus scrutator, aut temerarius Iudex: In manu nostra solitudo est, in lingua, in mente; cum vtramque cohibemus, vnam à curiositate, alteram à verbositate; homo tunc solus, quando remotus à prauorum consuetudine. Imò in consuetudine, si ad mentis, si ad linguæ fores sciat assistere. Clemens Alex. docet quo pacto in confercta urbe innenias solitudinem. *Re vera is est totus hospes, & peregrinus in tota vita, qui Ciuitatem habitat, contemnit, & quæ sunt in Ciuitate, & quæ apud alios habentur in admiratione: & viuit in Ciuitate, tamquam in solitudine, vt non locus eum cogat, sed liberum eligendi arbitrium eum iustum ostēdit. Hic qui est cognitione præditus, vt semel dicam, apostolicam adimplet absentiam, rectè viuens, accuratè agnoscens; suos iuuans necessarios, montes propinquorum transmouens, & inæqualiter ipsorum animæ abijciens.* Non locus solitudinem facit, sed animus. Ille qui propter Deum cuncta contemnit, omnia snperat, in Olympo quiescit. Vitam, qui viuit bonam, qui proximum iuuat desertum habet, nouus Ioannes montes humilians, valles implens.

In manu vostra eremus.

Clem. Alex. lib. 7. strom.

Resplenduit Facies eius sicut Sol: Vestimenta facta sunt alba sicut nix.

Quis splendor in Christi vultu, Quis in vestibus Candor.

Expensio litteralis.

ANNOTAT. XIII.

111 ERrat qui in gloriosa methamorphosi, Christi substantiam aeream, vel sideream factam putat Nemo dum legit *Resplenduit facies eius sicut Sol* suspicetur in orbem formatum Christi vultum, vt amplioris luminis capax, magni sideris effigiem exprimeret. Commenta sunt hæc, & hereticorum delirantium fabulæ. Audi à Santissimo Præsbytero Hieronymo catholicæ veritatis monumenta. *Nemo putet pristinam eius formam, vel amisisse corporis veritatem, & assumpsisse vel aereum, vel spirituale; sed quomodo transfigu-*

Fabulæ hereticorum de Christi transfigurat.

S. Hyeronimus epi. 61. ad Pamach.

transfiguratus sit, Euangelista demonstrat dicens. Resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta facta sunt alba sicut nix. Vbi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium: non substantia tollitur, sed gloria commutatur. transformatio splendorem addit, faciem non subtraxit. Idem Euthymius, sed breuius. *Transformatur corpore; propria figura manente.* Maiestati vultus, nouus splendor accessit, qui illũ pulchriorem redderet non mutaret. Lumen, quod oculos Apostolorum incurrebat, ad exteriorem, non ad immaginariam facultatem pertinere certum est. A penitioribus Christi partibus ad vestes vsque fulgentissimum diffundebatur lumen, fontem vndè fluebat innuens, nimirum corporaliter inhabitantem diuinitatẽ. Qui fulgentem hanc scaturiginem carpebat luminibus suis, arbitrari rectè poterat sub lumine absconsum numen, sub illustrata carne delitescentem Deum. Christi inhærebat vultui non exoticus, & emẽdicatus, sed ꝓprius splẽdor, fulgore suo corpus quantum quãtũ erat illustrans. Lucis Oceano videbatur obruta sanctissima illa caro, quæ transfigurata, vel ex hoc dici poterat, quod

Euthym. c. 37. in Matth.

tota forma, tota lumen erat; quin ipsa figura substantiæ eius humano in corpore radiabat. Verbum diuinum loquens lingua lucis prodebat se radium esse, ab illo sole genitum, ortum, natum, à quo indistinctus essentia proprietatibus omninò æqualis, alius, non aliud foret. In speciosa præ filijs hominum pulchritudine partes omnes, omnia membra coloris quadam suauitate conueniebant; colori accedebat lumen, vt quem mortales agnoscerent hominem, crederent Deum: Et quamuis soli comparantur Christi vultus; id fuit quia imago Sole clarior numquam ante visa ab homine. Basil. Seleuc. in quit *Scriptores oratione destituti, qua spectaculum ipsum rapræsentent, illic enim ait Euangelista, Resplenduit facies eius sicut sol, quod aliam illustriorẽ immaginem habeat nullam.*

D. Thom. p. q. 31. art. num. 2.

Basil. Seluc. orat. de trasfig.

Cur vultus Christi assimilatus soli.

112 Trãsfigurationis absoluto mysterio, lumen à passuro Deo abijt: Cum potestatis tenebrarum hora appeteret, recessit lumen à sanctissimà carne, tot cruciatibus destinata, fortassis dubitans, nè splendore suo magis, & irrisiones, & sputa, & ludibria, & mors ipsa clarescceret, quam ma-

Lumen transacto Mysterio disparuit.

Vultus Christi proportio cum sole.

magnum illud, quod Orbi præest astrum, vt non videret sustinuit se priuari luce, hoc est, principatu & vita se abdicauit, quę omnia, amittēs lucē amiserat. Frustraneæ soli fuissent tenebræ, cum fæda piacula lumine diuino paterent: cum obscurādum foret luminare hoc magnum, obscuratam iampridem vultus sui claritatem Christus voluit, nè quod absens sol tegeret vnus, præsens alter detegeret. Porrò, dum repetijt infirmitates nostras Christus, suum repudiauit lumen. Quis enim tam fædum piaculum tanto clarescente splendore patrasset? abstulit profectò lumen, quando permisit tot scelerum densissimas tenebras. Ceterū mysterio nō vacat, quod Christus in carne passibili, semel claritatē luminis admisit, quam in *Carne gloriosa* interdum celauit. Primum, vt doceret humilitatem, alterum, vt experiretur fidem, semper, vel tectus carnis suæ velo, vel detectus luminis radijs, æquè se præberet magistrum virtutum. Adeò infirmitatis nostræ, quam sibi sumpserat amans, vt mallet sinè splendore esse, quam sine *Cruce*. Fastidiebat splendorem, dum anhelabat ad mortem; de ex-

Lumen à vultu cur statim abijt.

Cur lumen interdum apparebat in Christi vultu interdum non apparebant vt indicaret magistrum virtutum.

cessu, quem completurus erat loquens; nobiliorem sibi vendicabat à cruce claritatem, quam à luce. hanc, vt extraneam, & peregrinam admittẽs: illam, vt sponsam sibi iungens: exacto itaque mysterio obscurauit lucem, superinduxit silentij tenebras, vt tutius pergeret ad Crucem.

Lux quam magna esset in Christi vultu.

113 Verũ quamuis lux illa vix appareret, subito post visionem à Christi vultu discessura, longè tamen superabat solem splendore suo. Nec momenti alicuiùs est, quod illa in magno rutilaret orbe, hæc in paruo. Multò magis est, accepisse à Creatore beatam lucem, quam naturalem dedisse mortalibus, diuinum illustrare orbem, quam humanum. Basilius Episcopus Seleuciẽsis festiuè inducit ad tantum diuini vultus iubar, solem demiratum. *Orem mirã! ait diuina vi ex humana forma radij promicabant, vidit sol, quæ prius non didicerat alienæ lucis splendoribus occuli doctus est Stetisti quondam sol victoriam hebreorum præstolatus, Iesum Ducem imperantem veritus es, domini nomen in conseruo tuo honorasti, nunc lucem vides, quam antea nunquam.* Congruebat, vt mundi oculus, non in-

Nos alibi hoc probauimus.

inſpiceretur tantùm; ſed aliquando aſpiceret, ad ſe ſuũ reuocat lumen, vt numẽ ſuum perſpicacius videat: par erat, vt oculorum nobiliſsimus ſi quando obiectum foret viſurus, foret hoc diuinum.

114 Tam magnus à Chriſti vultu emicabat fulgor, vt cuncta in quæ incurreret, nullo vel opaci, vel diaphani corporis facto diſcrimine, protinus illuſtraret: hinc, & Chriſti incanduere veſtes, & Moſes, & Elia, & Diſcipuli, & Mons, & lapides ipſi, miro ſplẽdore rutilarũt. Vt beati, & glorioſi corporis claritatem exprimeret Ioãnes, mulierem inducit, tam ornatã, tam elegantem, vt eius mundus ex ipſis lucentiſſimis aſtris conſtaret, depreciata tellurem, aduocarat aſtra; vt ex ſole cõponeret ſibi ueſtem; ex Luna ſandalia, ex Stellis ſerctum & coronã. Iob hæc ipſa lucentiſſima aſtra contẽpſit ut ſordida & obſcura, ut lumen quo colluceret numen & Vrbs ipſa cæleſtis, aliquo pacto explicare poſſit. S. Baſil. Epiſcopus Seleucienſis fingit ipſum demiratum ſolem, ad Chriſti excellẽs, & ſuauiſſimum lumen. Cuncta hæc; quia homo vocem non habet, quæ formam claritatis diuinæ poſſit cõ-

pre-

prehendere, quid quid dixerit minus erit, cũ splendorem illius, creata nulla imago explicare valeat: quare affirmat nullam Celestium astrorũ claritatẽ esse cũ diuina cõparãdã, quæ fulgebat in Christi vultu, rutilabat que in vestibus; hæc enim nõ cũ siderum sed beatorũ corporũ claritate consensiebat, de qua Beatus Laurentius Iustinianus affirmat. *Fulgebit Corpus gloriosum, ità vt solis setties transcedat splendorem*; De ipsis Christi vestibus græcus codex affirmat. *Resplenduerunt Vestimenta sua sicut lux*. quæ tanquam è fonte luminis emersa, apparebant candidissima: Quod inspiciens Petrus, & forti suæ abblandiens ait. *Domine bonum est nos hic esse*. Hinc colligere possumus cur hebrei, qui respicere Mosis faciem propter claritatẽ vultus eius (vt ait sacer Author) non possent, Christi longè splendiorem vultum, & vestimenta lucentissima (citrà vllam offensionem) suauissimè inspiciant; non modò, quia naturalis splendor blande perspicitur, ascetitius ægrè videtur, vt eleganter ait Damascenus. *Moses gloria externo aduteniente glorificatur, at Dominus Iesus, haud quamquam adscititium gloriæ*

Laur. Iust. l. de discipl. mon. c. 23.

Vestimenta Christi ex græco Codice sicut lux.

Damas. ser. de transf.

es-

ornamentum habebat; sed verum ex insita claritate manans; sed quia fulgentissimum lumen, quamuis sole ipso splendidius micaret, tamen diuino arteficio adeò temperabatur, vt excellētia sui splēdoris intuentiū lumina haud fatigaret, sed suauissimè foueret. In cælesti officina elaborata à Patre luminum temperatura lædere nescit oculos, quos amænissimè noscit excipere.

Christi lumē cum tam magna, & speciam solem ver oculos Apostolorum non læserit.

115 Iubar in Christi vultu colluēcēs ab illo manabat luminari, quo superna illa ciuitas clarescit, non indiga solis, cum lucerna eius sit Agnus. Vrbē felicē in qua idem sol, & Princeps; non timebit à tenebris quę dū regitur illuminatur. Ciuitas illa absque vmbris, penicillo lucis in visione hac adumbratur. In Christi itaque vultu non siderea, sed diuina, & à fonte luminum diffundebatur lux, à beatorum claritate non dispar. Superabat illam, qua interdum Angeli rutilantes apparent in terris, quæ; & fulguri, & niui à sacris authoribus describitur æqualis: factitio, & comentitio corpori, non idem debebatur lumen, quod vero, & diuino, cuilibet beato; lux attribuitur supra quamlibet

Lux Christi in vultù superabat illam apparētium Angelorum.

Quare dos claritatis debetur corpori beato.

libet naturalem, talis debetur animæ consorti, & meritorũ participi; Quid ipsi Beatorũ omniũ Regi? Angelus respuit ornatum tam nobilē, tā lucentem mũdum, à corpore, quod omninò sentit sibi extraneum debetur tamen Deo homini.

116 Verùm tam magnæ claritatis quis artifex? cum non ab astris, non à sole ipso possit esse lumen tam rutilans: nulla enim ex effectricibus causis, effectum se nobiliorem parturit? à numine profecto hoc lumen ab eo, qui habitat lucem in accessibilem hic radius; non extranea erat lux à Christi vultu, candor à vestibus, omnis gloria, omne lumen erat ab intus, egregiè Damascenus. *Ad eumdem modum facies, vt sol quidem splendet, vestimenta autem eius instar lucis alba fiunt, nimirum diuinæ lucis communicatione condecorata*; per cancellos, fenestrasq. corporis emicabat radius diuinitatis. Pape! quã magna tanto latebant sub velamine, Anima beatitate fruēs, Verbũ diuinũ, Diuinitas ipsa, cui accedebāt indiuidui comitātes *Pater*, & spirit' sāct'; Quale iubar à diuinitate? Qualis splendor à tot luminaribus? eleganter Sanctus Ephræm Syrus. *Vestimenta ostendit alba instar lucis, quia ex toto corpore*

Luminis quod in Christi vultù emicabat, Quis Artifex.

Damasc. orat. in transfig.

Ephrem Syrus ser. de transfi.

eius, gloria diuinitatis suæ scaturiebat, & ex omnibus membris suis lux eius refulgebat. Clarius author mirab. sac. Script. *Licet in hac ostentione domini, facies solari splendore fulserit, non tam ipsa caro splenduit, sed Diuinitas latens in corpore, luminis sui portiunculam conspiciendam foris videntibus, quantum poterat concessit: vndè ergo vestimenta candorem niuis habuerunt, dum neque de carne, neque de diuinitate erant, nisi fortè, vt per carnem diuinitas foris illuxit, sic caro illum, innata de diuinitate per vestimenta radiauit.*

Author mirabilum sacræ Scripturæ cap. 10.

117 Verum qui ex Theologorum sensu, & consensu loquitur debet affirmare, q non à beata Christi anima, non à Verbo ipso, non à sacratissima hypostatica vnione prodire potest hoc Iubar: indiuisa sũt Dei opera, omnipotẽtiã diuinam, quæ personis omnibus communis est, effectricem agnoscunt causam; rectè tamen his tribuitur, quorum causa diuina potentia tantum splendorem produxit, potissimùm sanctissimæ animæ quæ ob infinita merita fulgentissima claritate dignã fuit.

118 Sed lux tam magna à tam nobili manãs fonte quorsum diffunditur?

tur? an illam Taborea rupes finiuit omnino. Nam hæc ad visionem designata proscenium; Sat erat illā illuminasse, quāuis ibi Christus aderat, qui in totum terrarum orbem erat suam lucem diffusurus; idem Agnus qui vastissimos Empirei Campos solus illuminat, voluit suam lucem hac rupe definitam; qui verò ad montem accessere, Moses, Elias, Apostoli cuncti tāta maiestate, tātoque lumine corruscabant, vt Angeli ipsi, quibus censeo refertam rupem, præ stupore admirati delitescerent, perspicientes inflammatum montē lucentes lapides, splendidissimos fontes, homines ferme in numina commutatos.

109 Tandem quis candor in vestibus? qui niui dicebatur similis qui ex nulla fullonū officina, ipso cādidior emersit. Sed rè verà non tam candor, quam splendens lux fuit, quæ etiā in conspectù diuini vultus, qui solem lumine suo obumbrauerat nō nigra, & sine luce, sed candida videbatur, item & montis lapides incāduere à luce magna, rupes tota abijt in lumen, omnia maiestate, & gloria plena. Beati oculi, qui tantam visionem aspicere fuerunt digni.

Re-

Resplenduit facies eius, sicut Sol.

Christi pulchritudo præcipua in vultu, in labijs, in actionibus.

ANNOTAT. XIV.

110 TAborei montis decorem, Christi pulchritudinem: qua mõs illuminatus exultat: qua sol deperdit nomen, dum geminatur in Christi vultu: quà nix duratur, dum solida ante solem non defluit; quá vestes sine fullone albicant, non audet calamus describere: sed si desideratur vmbra, ne oculorum acies tanto lumine perstringatur, id atramento præstabit suo.

111 Petrus, præ cæteris, ad hanc methamorphosim accersitus, quia in aspiciendo præstantior, quia mystica petra, cui septem oculi ex Zachariæ vaticinio, cui ex patris genitura oculi columbæ: de quibus hæc Origenes, *Nunc primus attonitus videt, & considerat illis oculis, qui columba dicti sunt, decus, & speciem verbi Dei, quia reuera non potest priùs perspici, nec agnosci, quanta sit in verbo magni-* Origenes.

Petrus in videndo perspicacior, quia mystica petra, cui septē oculi, quia filius Columbæ. Cant. 1. Orig. hom. 3 in cant.

gnificentia, nisi oculus, quasi columba, idest, intelligentiam Spiritualem accipiat. Tunc potissimum Christi excellentem formam & pulchritudinem agnoscit Petrus: tunc venustatem, & decorem domus Dei cōsiderat: cum stupens & attonitus in illa erumpit verba. *Domine, bonum est nos hic esse*: non passionis, à quà totius orbis pendebat salus: non insularum, ad quas destinatus: non gentium conuersionis, ad quam vocatus: non miseriarum, ad quas natus memor; immemor omnium, & tabernacula struere, & stationes distribuere, & sedem figere, & perpetuò in solitudine morari cogitat. *Domine, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.*

Petrus omnium immemor in monte.

112 Verum parcēdum Petro est, si ex illius ore inconsiderata verba effluunt, si in monte parare tabernacula molitur, si ibi viuere perpetuò, si Dei aulam, si cælitum Vrbem, si Paradisum, in monte struere cogitat: ibi Regem in decore suo videt, ibi Deum non rustica, sed vrbana veste indutum aspicit. Moysi, & Eliȩ licuit dicere excessum, liceat & Petro facere: detur vtrisque venia, dum eadem pulchritudo vtrosque ad hos ade-

adegit excessus. Formam terrenam, dum illa cor mortalium ad suauissimos excessus rapit, *Regnum sine satellitio* Carneades, *Tyrannidem summam* Socrates, *Fraudem tacitam à natura* Aristoteles nuncupauit. Maiora de diuina ipse dicam. Non opus illi apparitoribus stipantibus latus, vt extorqueant amorem: sat illa sibi: nam dulci tyrannide sine vi vim infert. Non fraude tacita indiget rerum omnium momenta ipsa moderatur: non epistola commendatitia à natura, dum auctor naturæ commendat, & præcipit ut audiatur *Ipsum audite*; Sed ne in his excessibus recensendis meus excedat calamus; ad pulchritudinem, quæ in uultu, quæ in ore, quæ in action ibus est, propero.

Pulchritudinis potentia. Carneades. Socrates. Theophrast. Arist.

113 Pulchritudo hæc in Christo tam magna, vt ex illa habitans interdum cognita à mortalibus diuinitas: Definitum habitaculum Deus non habet, ubiq; enim est: non circumscribitur loco, qui immensus: non terminis, qui infinitus. Tamen vbi verbum factum est caro, tunc illi fuit & habitatio, & domus. Ita è Cælis mortales admonet præco Numinis Isaias: *Audite domus Iacob: hæc*

Christi pulchritudo Diuinitatis index.

Isa. cap.

Christi corpus diuinitatis domus, & Templũ.

dicit Dominus, cuius ignis est Iacob, & caminus in Israel. Ditata hæc domus gratijs, dilatata mansionibus, quippe implenda diuinitate, adeo vt quæ angustabatur in Cęlis, spaciaretur in terris: Laxior Deo ædes humanum corpusculum, quàm immensa Cælorum spatia. In hoc domum, & quietem: in hoc templum, & cultum reperit: Sed hic delitescebat numen ignotum, & ferme cælatum in suo Cælo. A Phariseis, fabri filius, vorator vini, seductor, sacrilegus: à viris mentis melioris, Helias, Zacharias, ex prophetis vnus dicebatur. In mõte aperitur hæc veritas, reseratur diuinitatis Templum, tantus ibi apparet splendor, tanta pulchritudo conspicitur, vt nullus dubitationi relinquatur locus, ibi non adesse numen;

Diuinitatis templum reseratur in Thabor.

Diuinitatis Templum reseratum in Tabor, nemo genibus prouolutus non colit, nemo non prostratus adorat. Mysteria hæc repræsentata in rupe Taborina longè anteà à Regio Vate & præuisa, & significata his verbis, *Gloria, & pulchritudo in conspectu eius: Sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione eius.* Sanctimonia hic pro Templo, seu humanitate Christi ponitur. Egregiè Theo-

Theodoretus apud Agelium *Humana suscepta natura, & per eam hominibus apparens, suæ magnitudinis splendorem emittens, omnes ad se adorandum trahit: nam sanctificationem eius, Templum illud appellauit, quod suscepit.* Verbum vix humanam naturam assumpsit, continuò Deo sacratur tēplum, splendoribus refulgens pulchritudo micat. Cæterùm splendor Solis radians in vultu, indicat Deum habitantem in corpore. *Resplenduit facies sicut Sol: quia in ipso habitat plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Theodoretus apud Agellium.

114 Magnus ille Dionysius Deū passum colligit, quia solem indutum tenebris videt; sic ex pullato seruo coniecturam facit periisse Dominū: Huius templi artifex Spiritus sanctus: eius structuram verbo, ore, manu Deus operatur. Sed vnde ornatus, & decor? vnde supellex? ex pulcherrimo Christi vultu. Inde flores, lumina, purpura, candor; inde totus ornatus: ita Dei domum decebat sancta pulchritudo, ex vatis diuini oraculo. *Domum Dei decet sanctitudo*; deforis petitum nihil, erat ab intus ornatus totus: ita Regius Propheta. *Omnis gloria eius ab intus*, & quamuis hæc pulchritudo semper in Christo

Pulchritudo Christi supellex templi dininitatis.

Nyssenus.

egregia, tamen temporis decursu elucebat magis. Hic sensus Nysseni ad illa verba. *Proficiebat sapientia, ætate, & gratia.* Sed infans, adultus, vir, semper *speciosus forma præ filijs hominum.*

Christi infantis pulchritudo,

115 Christo vix nato tā fuit eximia pulchritudo, vt in sui desideriū rapuerit non modo mortales, sed cælites, qui turmatim, & conglobato agmine aduolabant, vt quam viderent pulchritudinem, suauissimis celebrarent encomijs. Infans, iacens in cuna, vagiens inter crepundia, arctis fascijs vinctus, ea excelluit pulchritudine, vt rudibus pastoribus fuerit diuinitatis diserta prædicatrix. Vix pulcherrimum hoc lilium explicat se in florem; cum odorem in remotissimas partes efflat. Elegāter Sanctus Bernardus. *Agnosce liliū ex candore, qui mox ex ipso ortu floris, pastoribus de nocte emicuit, dicente Euangelio, quia Angelus Domini adstitit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos: Bene, Dei, quia non Angeli, sed lilij candor ille aderat.* Odorato lilio non deerant spinæ, quippe ad afflictorum consolationem videbatur hoc lilium natum. *Confugiebant ad eum omnes, qui amaro erant animo.*

Christi pulchritudo lilium balans in remotissimas partes. Bern. ser. 70. in Cant.

Qui

Qui mæsti erant circum sæpiebant hoc lilium, vt verè diceres. *Sicut liliū inter spinas*. Brigittæ sanctissimæ fœminæ reuelatum, quòd caternatim confluebant ad puerulū Iesum tribulati *Eamus, dicebant, ad filium Mariæ, vt consolari possimus: & quā uis ignorarent esse filium Dei, consolationem tamen magnam recipiebant*: Sic se ad Regnum Crucis, & ad spineā coronam insinuabat puerulus iste princeps.

Christus puerulus cōsolator tristium S. Brigit. l. 6. c. 1.

Christo adolescentis pulchritudo.

Duodenni quæ gratia in labijs! quis in vultu decor! *Strupebant super responsis eius. Siquidem*, vt ait Beda, *Diuina lingua sapientiam prodebat.*

Beda.

116 Quid in pulcherrimo iuuene, cum vendentes, & ementes eijcit è Templo: cum mensas nummulariorum euertit: cum discipulos vno oculorum aspectu ad se rapit: cum irruentem in se militem armatum vix aspicit & cohibet? fateor natiuo decori emicantem diuinitatis radiū accessisse. Ipsa pulchritudo radius diuinus, & de Dei vultu lumē erat. Sāctus Hieronymus ait, *Nisi habuisset in vultu oculisque, quoddam, sidereum nunquam sequuti fuissent Apostoli: nec qui ad comprehendendum venerant corruissent.*

Pulchritudo Christi aliquid siderium.

Hjeronimus.

Christi eloquentia.

117 Quis lepor! quæ venustas! quæ gratia dum loqueretur ad turbas! deriuabat hæc in labia à Diuinitatis fonte. Hoc Dauid sanctissimo vaticinio fassus est, ex Hieronymi versione. *Effusa est gratia in labiis tuis.* Hinc stupens, & attonita tu ba ad eloquentiam; quæ ex aureo ore fluebat, affirmabat. *Numquam sic loquutus est homo.* Hinc Petrus ad Christum. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ tu habes; Et nos credimus, & cognouimus, quia tu es filius Dei.* Dicebat ille. Expers aurium, est, qui tale verbum non audit. Expers mentis, qui non adorat: pene effusam diuinitatem ex gemmeis canalibus agnosco. Ab immortali, verba vitę, a patre temporum, æterna: ab ore diuino Euangelia fluunt: à fonte lucis deriuant hi radij: nos, quamuis obtecti tenebris, hæc omnia & cognoscimus, & credimus. Semel loquitur Deus: vnum in tota æternitate verbum dicit, sed in illo loquitur omnia. Expende quàm magnum! quàm ingens! omnia, quæ Deus loquitur, continet.

Hieronymus.

Psal. 44.

Ioan. 7.

Ioan. 9.

Eloquentia Christi dæmones terret Nyssenus.

118 Hinc stillans ex illius ore eloquentiæ fauus, qui alliciebat homines, terrebat dæmones. Elegan-

ter

ter Sanctus Gregorius Nyssenus illam cum lectulo Salomonis, quem ambiunt sexaginta, ex fortibus Israel, componit *Vt ostenderet legalis lecti pulchritudinem, his qui obscuro initiantur, & sagittis appetunt.* Nyssenus.

119 In singulis Christi actionibus venustas, & decor. Pleno ore fatebãtur mortales. *Propheta magnus surrexit in nobis. Et Deus visitauit plebem suam.* & regiones peragrans, & turbas docens, & miracula patrans, & incredulos obiurgans, semper Deus. O senatum Apostolorum felicem! Deus, quem olim nullus hominum viderat, patet ad uestrum sensum, patet ad manus: vestræ voces sunt, *manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.*

Quamuis lassus ab itinere, quamuis puluerulentus, quamuis compluens vndique sudorem, decorus tamen, & speciosus apparet turbis: Quid in Tabor, vbi nil aderat, nõ detegẽs diuinitatem? Pater cælestis in nube, lux splendens in vultu, candor albicans in veste, Moses, Helias, Prophetæ, lex, cuncta pulchritudinem, formamque diuinam personabant.

120 Ad Apostolorum tamen fe-

In Tabor magna solennitas.

licitatem pertinet, quod diuinitatis templi referantur fores: quod pulcherrimè exornatum apparet, fermè in die, qua eius solemnia recensentur: Petrus aspicit diuinitatis ædem: miratus apparatum, eligit abiectus esse in domo Dei, respuit tabernacula peccatorum. Sancta struere cogitat: vnde templum lustrans, Regem suum, & Deum adorans, sic secum loquebatur: Quid mihi Cæiorum claues? illas renuo; teneo iam Cælos: in Iraui, egredi nolo, abiicio claues, pedum mihi non conuenit: non ego pastor, sed ouis; dum pascua pinguia in culmine mõtis feliciter inueni! Bonum est mihi hic esse, tria faciam tabernacula.

Christo cõparata Mosis & Eliæ namenta tenebrosa.

121 Nulla in felicissimo Monte, vel de Moysi illuminato vultu, vel de Eliæ inflammato curru mentio; radiante sole cætera astra non lucẽt: Non micant illa, dum fulget iste: languent illa, dum iste splẽdet. Aderant Moyses, & Helias suis ornati infulis, laureati insignibus: sed formam hominum nemo respicit, qui diuinam considerat. Egregiè Origenes, cum quo mihi finis. *Moysis lux cum luce Christi composita], tenebræ reperiuntur, & quomodo lumen lucernæ*

ad

ad solis radios obscuratur, & veluti alia quædam cæca materies contenebrescit, O raram, & dignam Deo pulchritudinem! sed cum nubes eam integit, auolat ad alia calamus, superfluum ratus, ampliùs nigras ministrare vmbras.

Vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.

Scriptum verbum ab Incarnato Candorem lucem, & fermè, beatitem accipit.

ANNOTAT. XIV.

122 EOdem adornata schemate ijsdem præcinta indumentis, duo prodiere in orbem terrarum verba, Incarnatum, & scriptum: tanto honore dignum hoc, quia illius futurum erat irrefragabilis testis: vna albedo vtrumq. Verbum decorat, quia vna in vtrisque veritas: Hanc Analogiam innuit verbis aureis Petrus Chrysologus, quærens cur Sacra Scriptura metaphoris ac similitudinibus vtatur, ait, *quia ipse simi-*

Similitudinibus cur vsus Christus.

Chrysol.

Bonus S. Scripturæ interpres Chrifrum veste alba induit.

similitudo factus carnis peccati. Si Christum respicis veste niuea indutum, scias hoc præcipuè factum, vt ad illius exemplar verbum scriptum integas niuea, & candida interpretatione; hæc toga alba est, qua ornare verbum scriptum potes. Eruditè

Geometra.

Geometra apud Cordelium in catena: *Vestimenta illius, quibus in montem sublimem adducta sunt, apparuerunt alba sicut nix; quæ sunt verba scripta Euangelij, quæ Christus inducit, vt arbitror per scripta Apostolorum manifestanda Cùm igitur videris aliquem Iesu diuinitatem accuratè cognoscere, & omnium Euangeliorum dicta explicare, tali liceat dicere, vestimenta Iesu alba facta esse, sicut nix.* Calamo suo bonus

Malus interpres similis Herodi illudenti Christum veste alba.

interpres texit hanc Christo vestem, atramento dat candorem, quando accuratè, & sanctè scribit de Dei verbo. Cōtra, interpretes praui obscuris suis interpretationibus sordidant Dei vestem, dum cum ipso atramento eorum interpretatio de nigredine contendat: deteriores Herode, cum ille Verbum incarnatum illudit, veste alba indutum: hi verbū scriptum deridens veste nigra deformatum.

123 Hi sacrum Dei verbum

torquent, vt eam extorqueant mentem, quæ verbo Dei minimè cōsonat. Non ex his fuit ter maximus ille Chrysostomus, qui hæc de se affirmat. *Et quod non torqueam scripturam, ex scriptura ipsa audiamus.* Vnum verbum Sacra scriptura est: si quis vnam partem torquet, omnes torsit, factus omnium reus, in vna lædens omnes. Scriptura perperam illustrata; amicta sordida veste, imò & torta apparet, adeò vt omnes in sui rapiat commiserationem, dum quæ numquam peccauit, torquetur, & plectitur vt rea.

Chrysost. ho. de nomine Abraham.

Interpretes mali S. Scripturam faciunt, vt rea sceleris.

124 Parum est prauo interpreti ad Tribunal sistere hanc virginem; damnat, vt ream, vt seruam, vt captiuam. Paulus longè ab his iudicibus, qui purissimam Virginem tam iniustè puniunt Romanos esse iubet; inquiens. *Reuelatur ira Dei de Cælo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, quia quod notum est Dei manifestum est illis. Deus enim illis manifestauit.* Vbi D. Thomas *Veram Dei cognitionem detinent in iniustitia, quasi captiuatam. Nam vera Dei cognitio, quantum est ac se inducit homines ad bonū, sed ligatur, quasi captiui*

Interprete mali captiuant S. Scripturam.

Rom. 2.

ptiuitate detenta per iniustitiæ affectũ. Hi à scriptura candidam togam vi rapiunt, vt scindant, cogentes illam sumere squallidam; & seruilem. Seruis olim interdictum erat in medium procedere candida veste; Hinc Latinus Pacatus vestem candidam liberam appellat, vt distinguat à squallida & seruili. *Quid igitur referam factum liberæ nobilitatis occursum conspicies veste niuea Senatores* Sed clarius Tertull. *Si famulum tuum libertate mutaueris, & vestis albæ nitore, & aurei annuli bonore, & patroni nomine, ac tribu, & mensa bonoraueris.* Et rectè, nam candori cum libertate magna affinitas, à seruitute dissidium ingens. Albedo lucem ministrat, quæ nulla est in seruis, qui in tenebris iacent, & in vmbra mortis. Candor conspicuos & illustres homines facit: serui obscuri, & nullius nominis: forsitan illustres, viri nobiles dicti à candore vestium: Scriptura apparet niuea veste induta, quia libera, quia nobilis, & digna, quę verbo diuino comparetur.

Latinus Paca.

Tertull. de resur. car. c. 57. Annulorum honor.

125 Furunt amplius in illam praui: non modo atra veste induunt, & ad seruitutem damnant, sed corrumpunt, molientes adulteria, illius

Intèrpretes mali tanquã adulteri.

fœdantes,& conſpurcantes mētem. Paulus in hos inuehens, ait. *Non ſimus, ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed in ſinceritate, ſicut ex Deo, & coram Deo in Chriſto loquor.* Ideo inducuntur in hoc monte Elias, & Moyſes cum Chriſto,& coram Chriſto loquentes, quia qui ſine Chriſto tentat verba ſcripturæ illuſtrare, hic non illuſtrat, ſed obſcurat: vim infert ſponſæ, & adulterium tentat: vndè Paulus monet Timotheum. *Sollicitè cura te ipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis*, legit Ambroſius, *Probabilem exhibens Deo operarium, non impudoratum*. Tales aſſerit malos interpretes, inquiens. *Impuderatos appellans eos, qui contentionibus nituntur. Neceſſe eſt enim vt contentio extorqueat aliquid, imò multa quæ dicantur contra conſcientiam; vt intus in animo perdat, foris victor abſcedat. nemo patitur ſe vinci, licet ſciat, veraq; audit.*

2. Tim. 2.

Ambroſius.

126 Sed ad hæc adiguntur miſeri interpretes, quia nec latentia, nec diuina myſteria inquirunt, contentionibus ſeruiunt: apparere volunt, non eſſe interpretes. Verbum ſcriptum deturpant, qui priùs verbum

Scriptura, vt ſilex percuſſa reddit ignem.

Dei intus loquẽs cõtẽpserũt. Paulus ait: *verbum Dei rectè tractandum*, quia quamuis prima fronte despicabile apparet, latent intus mysteria. Vt silici, lapidi exteriori aspectu vili, si igniarium admoueas, si illum semel, ac iterum percutias, candentes scintillulas excuties: sic etiam sacra scriptura. Id aduertit acutè Sanctus Petrus Chrysologus: *sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro: ipse tamen ignis lapidis & ferri collisione flammatur, sic obscurum verbum, verbi accensum collatione, resplendet.*

Chrysol. ser. 96.

Christus Sacræ Scripturæ Sponsæ suę vindex.

127 Qui ex silice elicere latentes flammulas nescit, non audeat temerare scripturarum semitas. Adest vindex diuina gratia, quæ eius vias custodit, & violantes plectit. Eleganter Sanctus Augustinus de verbis domini. *Adest Domini gratia, & misericordia, & non sinit peruertere scripturam suam, quia circumsepsit veritate omnes semitas suas, & liberabit eam.* Veritas in sacra Scriptura non apposita, sed immixta est, secedit ab homine, quia omnis homo mendax; ad illum accedit quando cum Deo loquitur; quia tunc non mendax nec homo sed Deus. ita Paulus: *Deos dico, ad quos sermo Dei factus est.*

Aug.

128 Hi sunt, qui candidis moribus, qui Sanctorum dictis, vestigijsque inhærentes intexunt Dei verbo candidam, & niueam vestem. Rectè Ber. ad fratres de monte Dei. *Spiritu, quo sacræ Scripturæ Dei factæ sunt, eodem legi desiderat* Addo longo temporis interuallo, labore, industria, defatigandum interpreti, vt verum ex Scripturis eruat sensum. Basil. hoc ponderans. petit cur Elias, & Moyses appareant cum Christo in monte. *Totam, ait, vitam ad diuinorum verborum exercitationem impendi oportere, Moysi vita demonstrat: qui quidem primis quadraginta annis Ægyptijs disciplinis institutus est: alteris annis quadraginta, hoc prætextu pascens oues, in solitudinem secessit, ibique contemplationi rerum diuinarum operam dedit. Atque ita deinceps post quadraginta annos Dei visione dignus habitus huiusmodi fuit. Elias humanorum negotioru tumultum fugiens, & in desertis versari gaudet.* Expendo, quanta industria, quantoque labore par hoc hominum colloqui cum Deo meruerit! quomodo audebit vilis homuncio Sanctissimi verbi interpretem agere, et aliis pandere mysteria, quæ numquam ipse ex Deo nouit.

Sacræ Scrip. turæ interpres niueis moribus fiat.

Ber.

Basil.

Non

Sacræ Scripturæ interpres innocẽs sit.

129 Non audeat quis sacræ scripturæ arcana euoluere, nisi priùs ad Dei collegium, et colloquium sit accersitus: candidis moribus, scelerisq; puris id tantum concessum: petat è Numine lumen, et amorem: conformet se Christo, cuius in vultu lumen, in vestibus nix, in ore amoris excessus, *Resplenduit facies eius, sicut sol; vestimenta candida, sicut nix: loquebantur excessum eius*. Rectè B. Laur. Iusti. in prohem. cum expeteret se non indignum sacrarum litèrarum interpretem, *ò melliflue* (ait) *amor, ò Dei ineffabilis sapientia; oro te per te, vt priùs erudiar experientia, quā proferam lingua: priùs cordis palato degustem, quàm voce pronunciem, nè æs efficiar sonans, aut cymbalum tinniens: Incongruum enim est, vt in tenebris positus, alijs veritatis aperiam lumen, atque æternæ vitæ demonstrato verbi fonte, ipse ariditate deficiam.*

Lauren. Iust. Cast. Conn. in Prob.

Interpres Sacræ Scripturæ debet esse humilis

130 Tandem humilitas, et sui cognitio subnectenda amori est. Apostoli futuri verbi Dei præcones, in faciem cadunt: an suum puluerem collecturi? mirum quantùm puluis hic valet ad niueam reddendam togam, quæ squalida erat, præcipuè si lacrymæ accedant! Isidorus inquit.

Isidorus.

quit. *Fit toga addito quodam cretæ genere candidior*. Id firmo ex Sancto Augustino lib. 11. confess. cap. 2. quẽ obseruo hoc humilitatis puluere togã suam incretasse, vt cum decore posset Dei verbum tractare. *Circumcide Domine ab omni temeritate, ab omnique mendacio interiora, & exteriora labia, vt sint castæ deliciæ meæ, scripturæ tuæ: nec fallar in eis, nec fallar ex eis: attende Domine, & miserere.* Aug. lib. 11. conf. c. 2.

Apparuerunt Moyses, & Elias loquentes cum Iesù

Cur Elias, & Moyses ad montem veniunt, quo Duce, quo vectore.

Expensio litteralis.

ANNOTAT. XVI.

131 Rupem Taboream eo ceteris reor montibus celsiorem, quod in illam veteris, nouique testamenti legislatores, testes, iudices, Moses, Elias, Apostoli, ipse Cur mons Tabor nobilior cæteris.

K Chri-

Christus confluxère. Tertullianus rectè de hoc monte. *In montem secedit. Agnosco formam loci, oportebat in eodem sugestu consignari nouum testamentum, in quo conscriptum vetus fuerat.* Mirum itaque non est, si ad tam magnum exhibendum mysterium accesserit è tumulo Moses, è Paradiso delitiarum Elias, è terrarum Orbe Apostoli, & quod caput est Christus Iesus vitæ mortisque dominus. Ibi ait eleganter Ephræm Syrus. *Cernebant se inuicem Principes veteris testamenti; Principes noui: Vidit Moises sanctus Simonem sanctificatum: Vidit æconomus Patris, Procuratorem filij: Aspexit Virgo veteris testamenti, virginem noui. Elias nimirum Ioannem; factusque est mons in figurā, & vniuit in ea Iesus duo testamenta, quæ suscepit Ecclesia, nobisq; indicauit ipsum datorem esse duorum, vnum accepit eius mysteria: alterum gloriam suorum factorum manifestam reddidit.* Vna rupes cogit, quæ tot secula distinxère: vmbras, & lucem; factorū gloriam, eorumque præuisa, & adūbrata Mysteria iungit vnà.

Tertullianus c. Marci l. 3.

Ephrem syrus ser. de transf. Ibi vmbra & veritas. Mysteria futurorum & gloria factorum.

131 Ceterum de formosis his vmbris me loqui (hoc est de veteris testamenti proceribus differere) cogunt

gunt obuia Euangelij verba, quæ illustrare animus est. De Elia, itaque, & Moyse ab horto & ab orco euocatis, sermo erit; nimirum: an in propria persona fuerint in Monte? Vndè venerint; quo duce, quo vectore ad rupem hanc nostram Taboream aduolarint.

133 Sunt qui affirmant non Eliam, sed Angelũ vsurpata ex conglobato aere Eliæ forma, ad rupem hanc venisse. Verũ hi authores nec Angelũ in montẽ adducũt, nec Eliã, nõ vnũ, quia cõmentitius, non alterum, quia non verus. Ipse Eliam in propria forma, & autoprosopon sisto ad Christi latus: dedecebat sacræ apparitionis destinatum testem, veritatem contextari in corpore emẽtito; non contegenda larua veritas, quæ erat detegenda luce. Quæ fides in illius ore, cui dubium esset corpus? An cui corpus totum mendax, solum veritas permansura in ore? Non aereum testem, sed certum exposcit Christus diuinitatis suæ. Bellè quidem foret, vt euanescente corpore testis cum illo periret. Mirũ quantum momenti ad nostram comprobandam fidem attulit taborea hæc apparitio. Beatus Thomas è

Glossa affirmat Angelum vicem Eliæ subijsse

In propria persona apparuit Elias.

Hæc apparitio fidem firmauit.

Beatus Tomas à Villanoua in hoc Euangeliũ.

Villanoua ait. *Quantum putas ex hoc facto fides inualuit; audeo dicere nil supra.* Porrò in deliciarũ horto magna cũ pace tot annos,& secula emetiẽte Elia. En illi à saluatore mundi nuncius quo ad taboream rupem, accitur, hoc est ad beatitatis libamentum,ad diuinum pulchritudinis spectaculum,ad veteris testamenti trãslationem in nouum. Hoc felicissimo audito nuncio,alacer nulla mora interposita ad montem iter suum capessit, vt quæ olim auribus exceperat comprobaret oculis suis.

134 Verũ tanti momenti mysterium pressius expendere opere pretium erit. Præcipuè vndè prodigiosus hic homo emersit,cum taboream rupem petijt, an à Cæli gaudiis, an à limbi tenebris, & à purgantibus flammis? Verum nullus ex his quos enumerauimus locus conuenit viuenti. Viuit adhuc Elias, & vt sacer author narrat,curru,& equis igneis vectus ad Cælum, indè ad secretam regionem se recepturus; ità S. Pontifex Gregorius. *In Cælum aereum Elias sublatus est,vt in secretam quandam terræ regionem duceretur.* Addit Caietanus, Currus & equos, quibus Elias vectus,nubem ętereã, fu-

Gregorius p.9. in euãg.

fuiſſe, quæ igniti currus, & candentium equorum formam expreſſerat. Sed quò appulit tali nauigio vectus magnus hic heros? quis illi portus, vbi per tot ſecula remotus à curarũ fluctibus; & à turbis, quæ tellurem noſtram aſperãt perennaret? Cõmunis doctorum opinio eſt, illum in Paradiſum voluptatis (ſi eluuionis aquis nõ obrutus) vel ad alium illius nõ diſſimilem delatum, vt ibi deliciis plenus in ſecula ſanctè quieſcat, ibi diuino conſortio, ſi non aſpectu fruens, ibi contubernio, & familiari Angelorum colloquio gaudens, veſtimentorum non indigus, non famis, nõ ſitis, non algoris, non caloris iniurias patiens; imprãſus, incenatus viuat Dei verbo contentus. Itá S. Presbiter Hyronimus, de Enoch, & Elia ſermo eſt (eadem in vtroque ratio) *Paſcuntur pane celeſti, & ſaturantur omni verbo Dei.* Veſtimenta ſancti huius vatis iniuria temporis non læſit, par enim erat vt cui non creſcerent anni, nec veſtimenta decreſcerent; de vtriſque eodem ſenſu Paulus, & Dauid loquuti ſunt *Omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabantur, tù autem idem*

Caſetanus de raptu Eliæ loquitur.

Hyeronim. epiſt. 61. ad Pammech.

Elias paſcitur non pane ſed verbo Dei.

Dauid Pſal.

et & anni tui non deficient. Non decedit ætas in tanto viro, quæ immota permanet, vt integrum suum custodiat Eliam: non atteruntur vestes, non minuitur perpetua inedia inditus à natura calor, vt ostendant candidatum æternitatis nec vestibus indigere, nec pabulo. Eleganter Tertullianus hanc Eliæ felicitatem sic describit. *Non resurrectione dispunctus, quia nec morte functus; quà tamen de Orbe translatus, & hoc ipso iam æternitatis candidatus, ab omni, vitio ab omni iniuria, & contumelia immunitatis carnis ediscit* ô felicitatem! Cum quis traducit vitam sine labe; non offensus nō offendeiis, non intrinsecus iniuriam, non extrinsecus contumeliam patiens, immunis à carnis miseriis, in carne viuit; Quò fortassis, & Hieronymus allusit *Eliat in eadem permanet ætate, qua rapiut est, habet dentes, ventrem, genitalia, nec cibis, nec vxore indiget.* Ad hæc inspicienda prodigia, tempora ipsa herent immota. Vestimenta, in non senescente viro veterascere erubescunt. Mutauit natura ordinem suum. Tempora fluere intermittunt; calor naturalis non exigit cibum; vt à morte

Tertull. lib. 4. contra Marcionem Elias æternitatis candidatus.

Hyeron. epist. ad Damm.

ser-

ſeruet viuentem. Verba paſcunt Eliam, obſequente natura, creatoris ſui iuſſa *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Antiquitas inſolentiā miraculorum in prodigioſo hoc viro demirata; cum ex ſacrarum ſcripturarum fonte lucem haurire non poſset; ipſe ſtupor rationem infudit fabulis, quas ſolas putabant tanti portenti poſſe veritatem ſuſtinere, quod & fecit Poetarum mendacijs locum, Phetontis audaciam commēdantium. Hanc nacti fortaſſis opportunitatē; & incantamenta, & id genus prodigia ſonniarunt, equos & currus appingentes ſoli. Egregiè Chriſoſtomus. *Hinc Poetæ atque pictores in figuranda ſolis immagine exēpla credo ſumpſiſſe: qui curru, atque equis fulgentibus, ipſe rutilans, atque radians, è fluctu Oceani ſubleuatus inter præruptos montium ſcopulos euadens, quaſi ad celeſtia videtur aſcendere, in ſimilitudinem eius inductus*: ſol enim greco ſermone *Helios appellatur.*

Chriſoſtomus homil. de Elia.

135 Sed tot tantaque in hoc Vate miracula intexunt nobis implexæ dubitationis telam, vtrum meriti, & demeriti in tam ſublimi ſtatu fuerit ca-

Meriti capacem Eliā affirmat Abul. q. 24. in cap. 21. Matth. Vega de Apo-

Iac. cap. 11. Herricus. l. vlt. de fin. homin. mal-ued. de ftatis

capax. Res anceps, & dubia est, cur per tot secula probitas fraudabitur merito suo, & deterior Eliæ sors quã mortalium ceteri? qui momẽto quolibet parere meritorum æternitatem sibi poterunt. Quò allusit Apostolus conferens momentaneum, & leue, quod patimur æternæ gloriæ quam speramus. Cõtra sensiunt alij & fortassis probabilius, affirmantes, prescriptum nobis mærendi tempus decreto diuino. Eliæ in Cœlum trãslatio, & si non fatalis, æquiparata tamẽ morti fuit. Obijsse dicitur Elias, dum abijt in alium Orbem. S. Augustinus, cuius mens sole ipso clarior, fermè in hac dubitatione hærens, ita dirigit nauigium, vt vtroque eluctato scopulo portum tamen nõ appulerit. *Neque enim inquit arbitrandum est Eliam vel sic esse iam, sicut erunt sancti, quando peracto operis die denarium accepturi sunt, vel sic quemadmodum sunt homines, qui ex hac vita nondum migrarunt. iam itaque aliquid melius habet, quamuis non habeat, quod ex hac vita rectè gesta habiturus sit.* Suprà mortales est Elias, sed infra Beatos, quid habeat modo Elias, Augustinus ignorat: Illius, & Enoch felicitatem his verbis mellitè Bernar-

S. August. obscuré loquitur de Eliæ merito vel demerito.

nardus tradit. *Felices viri per quos diuina Ascensio legitur cosignata; Enoch raptus, translatus Elias. Felices planè qui soli iam Deo viuunt, soli vacant, intelligendo, diligendo, fruendo.* Ad eumdem sensum Metaphrastes. *Elias neque ad hodiernum diem mortis fecit periculum, sed assumptus manet expers senij, qui vt arbitror, vna versatur cum Angelis, quorum incorruptionem, & materiæ vacuitatem, per puram vitam est imitatus.* Sunt qui à scriptis litteris decemnio à raptu in celum, & à charitate, qua etiam à mortalibus separatus, flagrat in proximos, eius meriti eruunt argumenta. Augustinus affirmat, hanc esse ex quęstionibus de quibus vnusquisque opinari potest arbitratu suo. *Quæstiones sũt, in quibus salua quâ Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, aut sententia diffinitiua suspenditur, veluti cum queritur, vbi nunc sit Elias, & Enoch.* Cõmunis tamẽ recentiorũ sententia affirmat Eliam felicissimo illo statu dum fruitur, sine merito esse: & sicut priuilegio præcipuo ablata illi est pugnandi materia, sopiti turbines, sedati animi motus, frenati in rationem impetus, ita & impositus męritis terminus, vsque dum reuocatus in ter-

Bernardus quæ sit vita Eliæ in paraclito terrestri.

Methaphrastes in vita Eliæ.

Malueda de statu l. 9. cap. 2.

Eliæ felicitas.

rarum Orbem cruore ſuo purpuratus, de Antychriſti peruicacia triũphabit. Elias itaque, qui in delitiarum horto felicem traducebat vitam cæleſti admonitus nuncio iter ſuum ad taboream rupem dirigit: accedit ex miniſtratorijs ſpiritibus vnus qui onus ſuauiſſimũ humeris ſuis ſuccollet, ipſe dux, ipſe vector tam prodigioſi hominis futurus, tam nobili rheda vectus pergit ad deſtinatum pulchritudinis Chriſti poſcenium. dedecebat minori maieſtatis pompa deferri ad Chriſti viſionis ſpectaculum, quam olim currù inflammato, equis candentibus, delatus perrexit ad delitiarum hortum. haud debebat ſordido apparatu ad illam rupem ire, quæ cælorum, quæ terrarum felicitatẽ vnà exhibebat in pulcherrima Chriſti methamorphoſi.

Elias ſcrolatus Angelorum humeris pergit ad montem Tabor.

*E*liæ proximè acceſſit Moyſes, vt vtraque Redemptoris noſtri ſtiparent latera, æqua maieſtas, quamuis illis non idem munus, Propheta vnus, legislator alter à paradiſo ille, hic à limbo accerſitus, inuerſo ordine de Elia egimus, cum de Moyſe primum agere opportebat. Id tamẽ fecimus, quia in Elia difficultas maior de loco, de merito, de victù, de ve-

In Moſe, & Elia æqua maieſtas & pargloria.

vestitu. Fuerunt qui Mosen affirmarunt non dum mortuum, sed errant dum reluctatibus sacræ Scripturæ paginis affirmare hoc audent, non defuere qui eruditè patres ab hoc errore vendicant. Censeo tamen resurrexisse à mortuis, vt tanto interesset spectaculo, illo exhibito moriturus. Ità Hieronymus, & author marab. sacræ Scripturæ. Mosis itaque anima ad tumulum, qui hominibus occultus omninò erat, ne diuinis honoribus gens hebrea ad idololatriã prona illum cumulasset; accessit suas resumptura exuuias, vt verus Moyses, & autoprosopos dignissimo interesset spectaculo, ne comenticium corpus veritatem diuinitatis textaretur. Vectorem, & ductorem huius tam magni principis ad montem Tabor, Recentior quidã Michaelẽ Arcangelum putauit Mosẽ baiulasse vt maxima cũ maiestate, & gloria delat[9] accederet ad Christi gloriã speculãdã tãto vectore; sed queso nè derogemus Michaelis Archangeli dignitati, vt nimium Moysi maiestati tribuamus. Ceterũ. Moyses legislatoris infulis decoratus apparuit, sed maior illi à Christi vultu splendor conciliatus in hac

Hyeronim. in Amos Nissenus in vita Moysis Ambrosius.

Hyeronym. Matth.

Recentior putauit vectorem Moysis fuisse Michaelem Arcangelum.

Splendidior facies mores in Tabor quam in Syna.

rupe taborea, quā olī in Syna ex cōsortio diuini sermonis, dum hic solis imaginem in vultu suo expressit: illic lunæ tantum cornutam similitudinem imitatus. Nec mirum, ibi dorsum Diuinitatis aspexit, hic vultum ac veram Dei imaginem sole ipso lucidiorem inspexit.

Moses, & Elia accersiti ad visionem quia quadragesimam ieiunarunt.

S. Vinc. Ferr. ser. 2.

Hi itaque testes à limbo, à remotis mundi plagis, mortui, viuentes ad spectaculum aduenère. Nec mysteria desunt cur hi precipue accersiti. Ieiunium quadragesimale dignos illos hoc spectaculo reddidit. Ita S. Vincentius Ferr. *Quare plus anima Mosis, quam Adæ, vel Noe, & quarè plus Elias, quam Enoch? quia pre alijs sanctis, qui fuerunt ante aduentum Christi, nullus ieiunauit quadragesimam, nisi isti duo.* Petrus Cluniacensis affirmat, Mosen & Eliam *duos Christi signasse aduentus*, ideo ad hanc Methamorphosim vocatos. Chrisostomus, vt Apostoli ad præcipuas virtutes, quæ in hac sanctorum biga reluxit, accenderētur, nimirum ad Moses mansuetudinem, ad Eliæ zelum. Greg. vt discrimen agnoscerent Apostoli inter occidentem litteram, & viuificantē spiritum. *Cum diuinitatis eius splendor*

Greg. in cap. 1. l. 1. moral.

dor aſpicitur non in occidente littera, ſcilicet in ſpiritali legis & prophetiæ ſignificatione, eius ſacramenta requirant. Plura Myſteria non deſiderantur, cur hi præcipue adſciti teſtes, quę libens proſequerer;ſed prohibet me breuitas cui de induſtria vaco.

Ecce apparuerunt Moyſes, & Elias, cum eo loquentes.

In Moyſis, & Eliæ colloquio conſonantia, & beatitas Scripturarum.

ANNOTAT. XVII.

136 HOc Ieſu cum Moyſe, & Elia colloquio ſuauior in orbe terrarum concentus numquam fuit, numquam erit, grauibus acuta ad dulciſſimum temperata tonum conſonant. Legis, Prophetarum, & Euangelij voces, perpetuas muſices ſeruant leges: vnus ex vtriuſque paginis cantus aures, & animos mulcet. Hanc modulationem audiens Magnus ille Leo, in hæc verba erupit. Teſtamenti noui & veteris conſonantia.

Leo.

pit. *Quid hoc firmius verbo, in cuius prædicatione veteris, & noui testamenti concinit tuba: & cum euangelica doctrina antiquorum protestationum instrumenta concurrunt, adstipulantur sibi inuicem vtriusque fœderis paginæ, & quem sub velamine mysteriorum præcedentia promiserant signa, manifestum ac perspicuum præsentis gloriæ splendor ostendit; quia, sicut ait Beatus Ioannes, lex per Moysen, gratia per Christum.* Noui ac veteris testamenti instrumenta vnum sonum edunt, eò suauiorem, quò Christum annunciant: Ideo vtrumque, codex vnus, imò vnius codicis vnum caput. Ita Dominus in Dauide loquitur, ex Didymi sensu. *In capite libri scriptum est de me: Caput libri,* ait Didymus, *esse omnem scripturam diuinitùs inspiratam, siue legalem, siue propheticam vocat: nam in ea scriptura est de illa vita conuersatione, quam Saluator noster inter nos habuit. In capite autem dixit, propterea quod vniuersa in vnum caput redigitur: caput illud est, Saluator homo factus.* Concinit Eusebius: *Vniuersam diuinitùs inspiratam scripturam vnum caput libri nominauit, propterea quòd ad vnum scopum omnia tendunt, quapropter rectè hortatur Salomon non esse*

Scriptura vetus, & noua ad vnum caput reducitur.

Didymus.

esse plures libros comparandos. Christiane solus hic liber sat tibi est; qui in vno verbo, omnia continet. Peccat Petrus, dum tria struere tabernacula molitur; vnum verbum adoret, quia cetera omnia ad illud tendunt, & in illo quiescunt: ceu ad mare, & in mari flumina. *Erras Petre*, ait Sanctus Hieronymus: *nescis quid dicis, noli tria tabernacula quærere, cum vnũ sit tabernaculum, in quo lex, & prophetæ recapitulanda sunt*. Hieronym.

137 Falluntur Marcionitæ, auribus, et oculis cæci, qui in hoc monte Martis strepitum audiunt: Non pugnant noui, et veteris testamenti paginæ, sed perpetua, et Sancta fœdera ibi seruant: quarè cum Moyse potiùs, quam cum Iosuè dicendum: montem suaui musica, et iucundo vocum concentu resonare; hanc scitè consonantiam ecclesiasticam appellat Clemens Alex. *Aliter quoque acceperis musicam consonantiam, nempè ecclesiasticam; legis, & prophetarum simul, & Apostolorum vnà cum Euangelio: & concentum, qui in vnoquoque Propheta est positus, dum ab vna persona ad aliam transilitur*. Consonant paginæ, quia omnes bibliorum codices, quamuis in varios distincti libros,

Exod. cap. 3.

Scripturarũ consonantia ecclesiastica Clem. Alex. lib. 6. strom.

bros, dum Christum respiciũt, vnus sunt codex, liber, caput. Duæ catenæ, quibus varijs temporibus Petrus vinctus, vt ostenderent vnam, & alteram ad Petrum spectare, quamuis ferreæ, indissolubili amoris nexu glutinantur. ita Codices, & libri scripturarum, vt demonstrent se annunciare Christum, defluunt in vnũ caput, cum ad vnum finem tendant. Si duæ fides ad eundem sint temperatæ tonum, et docta cytharædi manu pulsetur vna, altera latenti naturæ impetu respondet. Tonus, ad quẽ scripturæ temperatæ, Christus est; ita Paulus: *Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Lex vetus respicit Christum, id etiam et noua: vbi Spiritus sancti impulsu vna sonat, altera consonat. Hinc est, quòd vix tangitur Euangelium, & contiuuò lex, et prophetę respondent; Christus cum Moyse, et Elia auditur colloquens. quid enim in Euangeliorum codice magis obuium, quàm huius dulcissimi colloquii mentio? id canunt tot euangelistarum testimonia, *vt adimpleantur Scripturæ prophetarum, vt adimpleatur Sermo, qui in lege vestra scriptus est &c.* Vacuũ foret verbum scriptum, quando illud non im-

Petri Catenæ duæ quid significent.

Paulus Ro. 10. Christus finis legis.

Ioan. 15.

impleſſet incarnatum: æs ſonans, aut cymbalum tinniens vetus teſtamentum, ſi nouum non accedat: in vtroque concentus, & muſica. Non modò ſcripturarum finis Chriſtus, ſed vnus author Deus. Hic ille pater familias, qui de hoc theſauro noua, & vetera profert. Egregiè Irenæus *Vnius igitur, & eiuſdem ſubſtantiæ ſunt omnia, hoc eſt ab vno, & eodem Deo, quemadmodum Dominus ait diſcipulis ſuis: propterea omnis ſcriba doctus in Regno Cælorum ſimilis eſt homini patri familias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera, ſed non alterum noua, alterum vetera, ſed eundem.*

Idem author veteris & noui teſtamenti & idem finis

Irenæus l. 4. c. 21.

138 Non miror prophetas mutos, legem ſine Chriſto elinguem, quia erant ſine verbo. Os aperiens mutus, mugit potiùs quam loquitur: Scriba calamum mouens, haud ſcribit, ſi literas non exprimit, ſoluta prophetarū ora, motæ manus, ſine Chriſto, nec loqui, nec ſcribere poſſunt: ipsū Dei verbum, verbum, & litera prophetarum erat. Hieronymus in illa Salomonis verba *Aperientur labia eius vt recte predicem* hæc ait labia *ſunt duo teſtamenta concordia ad inuicem, veritatis atteſtatione coniuncta: quæ ipſa in carne apparente, per Spiritus Sancti donum ſunt ad prædicandum ſalutem*

Scriptura vetus ſine Chriſto muta quia ſine verbo. Hier.

Scriptura vetus, & nouæ duo labia vnius loquētis: duæ partes vnius calami ſcribentis.

 lutem

lutem, vniuersum aperta per orbem. Nec minus eloquenter Zeno de calamo, quàm de labiis Hieronymus: *duo* ait *testamenta Dauid calamum appellauit, dicens: Lingua mea, calamus scibæ velociter scribentis: calamus fissus est, fratres, duosque vertices gerit, in vnius acuminis tenuitate digestos, vnam literam vtroque conficiens, vnde rectè testamenta sunt duo quæ similiter duobus capitibus vnã literam fingunt: idest sacræ legis duobus edictis, vnum Christum Dei filium spirituali temperamento conscribunt, quæ sine se vtilia esse non possunt, qui veteri, sicut nouum præstat fidem, ita nouo vetus perhibet testimoniũ sicut scriptum est: semel loquutus est Deus: duo hæc audiui* Prophetarum, & legis dicta vel edicta, confusa, obscura, mortua, sine Christo sunt, quia sine vita, sine luce, sine ordine. Eunuchus Reginæ Candacis, quamuis homo eruditus, Isaiam manibus tenẽs, ad illa verba, *Tamquam Agnus coram tondente se sine voce, sic non aperiet os suum: in humilitate iudicium eius sublatum est: generationẽ eius quis enarrabit?* Hæret attonitus, nil percipit, omnia obscura, obtecta caligine videt: Multa loquebatur Propheta, nihil ipse audie-

Zeno.

Nil percipitur ex veteri testamento sine Christo.

Actor. 4.

audiebat, quia verbum non aderat, quo verba prophetarum percipiuntur: Aberat Iesus. cum ipse accedit, tunc in labijs prophetæ clara vox: in calamo distincti characteres, & in Æthyopū principe lumen, & candor: *Accedit Philippus, & euangelizauit eunucho Messiam.* Præsente Iesu, loquitur Moyses, loquitur propheta, Eunuchus Euangelista factus, varijs nationibus Iesum annunciat.

139 Rectè præsente Iesu, vox rauca prophetæ clarescit: Eunuchi aperiuntur aures: ipsemet legis, & prochetarum codex beatur In veteris testamenti paginis geminæ sunt partes: euanescens, & mortua vna: viva & beata altera. Quæ ad ceræmonias, & ad veterem ritum pertinet, ex Christi splendore obscurata euanuit: quæ ad Euangelium ex Christi lumine inualuit: vna damnatur ad tenebras, altera eleuatur ad lumen. vltimus finis adeptus beat hominem, ademptus damnat: sic Christus cum accedit legi, & prophetis, beantur: quando recedit, damnantur. Acutè & eleganter Geometra. *Ille autem, qui sic Iesum viderit, apparuerit quoque Moyses, & Elias, hoc est propheticus sermo, cum Iesu colloquentes. Hic autem*

Scriptura vetus vnita cū noua dicitur beata.

Geometra in Cat.

videns Moysis gloriam, & intelligens spiritualem legem, tamquam vnam cum verbo Iesu, & absconsam In prophetis per mysterium, per sapientiam vidit Moysen, & Eliam in gloria, quando videt illos cum Iesu. Lex & prophetæ quando ex resplendentis Christi vultu reuelantur, tunc beantur. In accessu, & recessu Iesu beatitas, vel miseria scripturarum. Ipse finis vltimus, ipse scopus ad quem colliniant arcana bibliorum. *Finis legis Christus est ad iustitiam omni credenti.*

Scripturæ vetus corpus noua anima.

140 Ab hoc monte salutaris tuba resonuit, qua Dei verbo scripturarum pene cadauer & ad vitam, & ad gloriam reuocatur. Bibliorum codex ex nouo, & veteri testamento, veluti ex anima, & corpore compactus, nobilior creatura resurgit: Ita S. Maximus *Duo testamēta* ait, *per gratiam conuenire ad vnius mysterij complementum plusquam anima, & corpus* Vetus testamentum, veluti corpus, animatur nouo, sine quo frigidum & inane est, vel cadauer, vel embrio; cum quo spirat vitam, & sperat beatitatem, conspecto Iesu.

141 Par erat vt cum in vtroque testamento, idem esset exordium, idem locus natiuitati præsignatus, idem

author

author, idem esset & finis, & beatitas, De exordio Paschasius, *Dignum profectò fuit veteris testamenti initium quando possibile fuit eodem modo præsignari, ac nouum*, De loco Tertullianus ad montem Synà, & Thabor alludens, *Oportebat in eo suggestu designari nouum testamentum, in quo conscriptum vetus fuit.* De authore idem Tertullianus. *Ipsum audite, quem initio edixerat audiendum.* De Beatitate, complet egregiè Tertullianus. *Hoc ipsum confirmaret societatem esse claritatis Christi cum Moyse, & Elia.* Defuncta munere suo lex vetus: heres testameuti Christus: Auditionis translatio facta à Moyse, & Elia in Iesum: *Ipsum audite*: decedit vetus: succedit nouũ. In claritate Moyses, & Elias cum Iesu, & Apostolis apparet: vt Christiani noscerent veteris testamenti iam munus expletum, & pro rectè obito, claritate, & gloria cumulatum, & ad Christi colloquium admissum, *Ecce apparuerunt Moyses, & Elias, loquentes cum Iesu.*

Paschasius.

Tertullianus aduincimus Maricion l. 4.

Lex vetus decedit: noua succedit.

Dicebant exceſſum eius.

Quomodo hic, & in patria, in Chriſti operibus exceſſus.

ANNOTAT. XVIII.

In Chriſti operibus exceſſus.

142 MOntes, cælorum conter-mini, electi à numine arcanorum ſugeſta: quippe myſteria, quæ deſcendunt è Cælis, non inueniunt celſiora in terris faſtigia vbi quieſcant, quàm montium cacumina: ſic data lex vetus in Synà; præſignata lex noua in Thabor, vt mons vterq;in nomine numinis exultaret, & vetus & nouum teſtamentum initiaretur in mõte. Ità Tertull. de quo nos etiam ſupra. *Agnoſco formam loci, nam priſtinum populum apud montem viſione, & voce ſua Creator initiarat, oportebat in eo ſuggeſtu conſignari nouum teſtamentum, in quo conſcriptũ vetus fuit.* In celſiſſimo monte Thabor exhibentur vtriuſque teſtamenti nobiliora myſteria: ibi lucent priſci æui fulgentiſſima ſidera Moyſes, & Elias: hic prophetarum princeps, ille in domo Dei miniſter: ibi aſtra noui micant, Petrus, Iacobus, Ioannes,

Tertull. ibidem.

nes. radiat Christi vultus, supra solem splendens: omnia magna in hoc monte, dignus, qui synagogam, qui Ecclesiam, qui nouum, & vetus testamentum, qui gratiam, & gloriam vnà exprimat. Sed colloquia, quæ hic audiuntur, nollem vt repræsentarem magna, facerem impia: dicebant *excessum eius*, An excessus, vbi Christus rerum omnium terminus? nescit virtus excessum. quippe semper in medio est, & quadrato agmine incedit nè hostis vel à fronte, vel à tergo audeat illam impetere; quilibet .n. vel accedens nouus miles, vel decedens vetus, inuertit ordinem & fugat virtutem, quæ tunc impenetrabilis est cum quadrata incedit. Virtutes dicuntur habitus, dum æquè induitur his animus, ac homo vestibus. Bernardus in illa Ioelis verba, *Scindite corda vestra*, inquit: *scindamus corda, integra vestimenta seruemus; vestes enim nostræ, virtutes sunt. Bona vestis obedientia est, Beatus qui custodit vestimenta hæc*, Vt vestis ista sit conueniens operimentum nudo, nec longa, nec breuis erit; sic virtutes commensurandæ rationi, cum ea & crescere, & decrescere debent: Prolixus liberalitatis habitus in prodigalita-

Bern. serm. 2. de ieiun.

Virtutes dicuntur habitus quare.

tem tendit; remissus in auaritiam: tunc benè conuenit animo, cum in medio est. Vestimenta nimis vel longa vel breuia, quæ vel terram verrût, vel genuata sunt, diffluunt, & regulæ suę non quadrant. Id egregiè D. Tho. *Malum est, quod discordat à sua regula, vel mensura, quod quidem contingit per hoc, quod deficit ab ea. Bonum morale consistit in adæquatione ad mensuram rationis*. Quomodo excessus, vbi Christus virtutum exemplar? laudant an carpunt, qui dicunt excessum eius? quod excedit, deforme; quod æquat, pulchrum. Deforme membrum, turpis hominis pars; cum excedit, quem præscripsit natura limitem, tunc reliquit pulchritudinem. Vt frons, vultus, vel manus, quia contracta, vel extracta nimis, euaserunt deformia, cum non accesserunt ad mensuram, recesserunt à forma. Egregiè D. Tho. *Excessus, & defectus habet rationem alterius extremi, quod deformitas est*. Si in excessu deformitas; quo pacto vbi tanta micat pulchritudo Christi in vultu, in labijs, in verbis tam importuna deformitas, & excessus irrepsit vt Moyses, & Elias dicerent *excessum eius*.

D.Thom. 2. 2. q. 64. ar. 1.

D.Tho. 2. 2. q. 64. ar. 1.

143 An Christi actiones, quà homi-

minis, quamuis pulcherrimæ omnes, tamen quia simul compositæ, vna alteram probitate superat, excessus inueuitur, qui defectum, & deformitatem inferat? absit: qui Christi prudentiam, qui obedientiam, qui temperantiam, qui fortitudinem considerat, agmen pulcherrimum virtutum videt, tamen dux agminis charitas est, dum hæc ducit, præcedit, & excedit cæteras, nulla à pulchritudine recedit: excessus vnius non infert alterius defectum: Non quia illa pulchrior, hęc non pulchra. Omnes pulcherrimæ, sed de pulchriore, & de duce erat Eliæ, & Moysi colloquium, *Ideo dicebant excessum eius*: Ad excessum pertinet quidquid pertinet ad amorem; virtutes cunctæ collimant ad scopum. charitas tangit finem, quia tendit ad bonum ipsum: ideo omues excedit. *Cũ dilexisset suos in finẽ dilexit eos.* Ad finem accedit dilectio, ideo omnes excedit, *dicebant excessum eius.*

Christi virtutibus excessus qualis

Charitas virtutum dux.

144 Huc adijcio, quòd virtus theologalis illos contemnit terminos, quibus moralis gaudet. Hæc tunc virtus, quando inclusa terminis, quãdo regulata modis, cum nec defectum patiatur, nec excessum; ideo in me-

Virtutes theologales quomodo sine excessu

medio consistit, vt sit ab vtroque tuta. Illa vero quæ non mores, sed Deum ipsum respicit, numquam ita accedere potest, quamuis totis viribus, toto animo ad illum feratur, vt accessus sit excessus. hinc D. Thom. *Ad Deum, qui obiectum virtutis theologicæ est, non contingit peccare per excessum.* Hinc sacer author excessum suadet vt salutarem, *Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis; maior enim est omni laude.* Fidei, spei, charitatis habitus genuatus non longus esse poterit. Obsequium non homini, non Angelo, sed Deo paras: numquam vestem Deo dignam, illique conuenientem consues; qualibet mensura ipse maior: idcirco canit Ecclesia. *Quantum potes, tantum aude: qui maior omni laude, nec laudare sufficis,* Moyses, & Eliaa excedēdo non deficiunt, quia Deum omni laude maiorem colunt.

Amor in Deum tunc melior, quādo cum excessu.

145 Hinc indicitur homini, vt Deum toto corde, toto anima, totis viribus, & super omnia diligat. In Dei amore qui non excedit: deficit. Hinc Bernardus in sponsæ amore excessum laudat his verbis, *Flagrans, & vehemens amor præsertim dicendus eum intra se cohiberi non valet; non atten-*

Ber. serm. 67 in cant.

tendit, quo ordine, qua lege, quaue serie siue paucitate verborum ebulliat. Ignis nullum seruat modum, imò ad excessum trahit, quæ sibi societate iunxit. Aqua admota igni nescit & ipsa limites, ebullit, & exilit extra terminos; sic & amor, qui ignis naturā sapit, exultat contemnit fines, exterminat, vt Deum petat terminum.

146 Vide quò amor tendat, ad quem excessum aspiret? vt nimirum Creatorem æquet creaturæ. In amore tantum, creatura respondere Creatori poterit: nimirum amans amanti. Mellitè Beruardus, *Si mihi irascatur Deus, numquid illi similiter irascar? si me iudicabit, iudicabo eum? Sed adorabo. Si dominatur, me oportet seruire. Si imperat, me oportet parere, & non vicissim à Domino vel seruitium exigere, vel obsequium. Nunc iam vides de amore quam aliter sit. Nam cum amat Deus, non aliud vult, quippe non ad aliud amat quàm vt ametur. Magna res Amor! sed sponsæ in summo est,* O sanctissimum excessum! qui in amore excedit, amat meliùs, *dicebant excessum eius.* Amor creaturā æquat Creatori.

Sed hic in via incipit Christi amoris excessus, vt crescat in patria, in terris iacit semina, vt mensuram

bonam, confertam, coagitatam, superefluentem det in Cælis, Excedit cum præmiat: dum leue terrenum, cæleste pondus parit; & momentaneum meretur æternum. Miratur hoc Paulus. *Momentaneum hoc, & leue, æternum gloriæ pondus operatur in Cælis.* Miracula hæc cælestis Hierusalem mater nostra parit: Res omnes, præsentes, præteritas, futuras, oculus, auris, cor dimetitur: omnia hæc, & singula, impares mensuræ sunt ad ingentia metienda, quæ in Cælis nobis parantur. Conspirant in testes magni amoris, Nouum, & Vetus testamentum; Paulus, & Isaias, *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quod præparauit Deus diligentibus se.* ó amoris excessum! de hoc fortassis dulcissimè colloquebantur Moses, & Elias, quando *Dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem.*

Luc. 18.

Paul. 2. Co. 4. Gloria erit in excessu.

Paul. 1. Co. 2. Isai. 64.

Di-

Dicebant excessum eius.

Quis hic excessus, quæ colloquia Moysi, & Eliæ? Vbi de Angelorum, & Beatorum locutione.

ANNOTAT. XVIII.

147 QVisnam Moysi, & Eliæ accedat, suauissima quæ intexunt, auditurus colloquia? Euangelista refert sublimia illis fuisse de sublimibus. *Dicebant enim excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* An de immensitate gloriæ, quam sæpè diximus, in hoc monte ab Apostolis prælibatam? at hæsitat lingua de his loqui, quæ numquam in cor hominis ascenderunt. Si dona exhibita à Deo mortalibus, adeò sunt magna, vt omnia laudum præconia superent, quid erit beatitas, quam ab ipso æternitatis exordio electis suis Deus adornauit? Meritò S. Bernardus premens Regij Vatis emistychiũ. *Perfecisti eos qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum*, ait, *Non est* Bernardus.

hic

hic sermo in lingua, sed super linguam, ideò auris non audiuit, quia nec lingua protulit, quod præparauit Deus his, qui diligunt, nec sanè in abscondito consummatio illa, sed in conspectu filiorum hominum. Ingentia bona parat Deus, in conspectu filiorum hominum electis suis, & tamen non est qui contestari ea valeat, nō auris, non lingua, non cor, non totus homo, tam magna sunt, vt excedant hominis facultates, at dùm non valent explicare modum, eorum explicant magnitudinem; *Quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Sanctus Aug. inquit. *Homo in hac vita dignè pensare non potest quanta sit illa felicitas, Deum facie ad faciem videre: quanta suauitas, melos Angelorum audire; quanta iucunditas, omnium Sanctorum societatem habere.* Mensura semper breuis inueni.ur, siuè lingua, siue aure, siue corde, siue mente Sanctam illam beatitatem metiamur.

Gloria cęlestis immensa.

148 Cæterùm quomodo Moyses, & Elias *dicebant excessum eius?* quæ in beatis lingua, notæ, & formulæ loquendi. Nemo est qui reuocet in dubium sanctis hominibus, & Angelis beatis suauissima esse colloquia, adumbrata in his, quæ in hoc monte Moy-

Beatorum colloquia.

Moyses, & Helias dulcissimè intexunt. Sicut enim in inferno ad acuēdas inferorum pœnas colloquia nō desunt damnatis, quibus inuidiam, & desperationem lacessant; de his Salomon, *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorū sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est*. Ita in Cælis gliscunt Sanctorum societate, & colloquijs gaudia. Hinc psalmista. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*, & Beda Presbyter, *Verum super omnia hæc, est consociari Angelorum, & Arcangelorū, cœtibus, thronis etiam, & dominationibus, Principatibus, & potestatibus, omnium Cælestium supernarumque virtutum conturberniis perfrui.*

Damnatorū colloquia.

Sap. 5.

Ps. 86.

Beda.

149 Sed non mediocre facessit negotium quomodo cælitum vnus alterius sermonem audiat. Quæ in magna illa vrbe colloquiorum ratio; non enim eadem Angelis, & hominibus lingua. distinguit eas Apostolus, *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*. Vbi Chrysostomus *linguam*, inquit, *Angelorum dicit, non quia spiritibus corpus affingat; sed si ea loquatur, qua vtuntur inter se ipsi*. Basil.

Chrys. hom. 32.

Nam

Lingua Angelorum, & lingua hominum quomodo differant Basil.

Nam & Apostolus nobis innuit, quod Angeli propriam linguā habeant: Paul. *ait si linguis hominum loquar & Angelorum* Angelorum linguam humana longè præstantiorem affirmat

Theophyl.

Theophylactus. *Præstantiùs volens exprimere, quòd humanas linguas excederet*. Explicatiùs Clemens Alex.

Clem. Alex. lib. 6. Rom.

Neque enim ait quomodo significant Angeli, quatenus Angeli, ita audiunt homines; neque instrumenta vocis quis dederit Angelis; labia, inquam, guttur, & arteriam, & viscera, & spiritum, & aerem, qui pulsatur. De humana verò

Zenc.

lingua & aure Zeno. *Aures inæqualibus quibusquam anfractibus adapertæ icti aeris sonum distincta modulatione suscipiunt, quia dum per inflexos anfractus ducitur, magis sonora redditur, nihil aliud extrinsecùs incidere inflexionum ipsa obiectacula patiantur, quod impedire possit auditum*. Non minus eleganter de lingua idem. *Iam verò si linguæ intuearis naturam quomodo quidem multis est, & motu perfacilis, itaut ad omnem verbi vsum quælibet variis, & diuersis motibus absque vllius rigoris difficultate deseruiat, sed & dentium murus, simul & vocis organo ministerium præbens, dum linguæ ipsi validissima exhibet circumuallationis obsta-*

Auris & linguæ descriptio ex Zenone.

ſtacula, ſimul & cibis miniſtret molendo, & alios per alios incidendo. Quomodo tamen Angeli colloquantur variæ apud Theologos ſententiæ.

150 Angelum tum loqui, cum alterius menti obiecti cognitionem, quam ipſe noſcit; imprimit putat Scotus. O Kam, & Gabriel exiſtimāt mutuò loqui cælites, cum alter conceptus ſui notitiam in alterius mente exprimit. Alij tum eos colloqui, cum vnus alteri cognitionis ſuæ imprimit ſpeciem. Mihi, vt D. Thomæ mentem illuſtrem, res ordienda altius. Quotuſquiſque ambiget, cum hominum, tum Angelorum, mentis & cordis cogitationes nulli eſſe, præterquàm Deo penetrabiles? Clamant Sacri Authores. *Scrutans corda & renes Deus. Inſcrutabile eſt cor hominis, quis cognoſcet illud?* Hinc liceat coniecturam facere, quo pacto cogitatio edita ab vno Angelorum, cognoſcatur ab altero, & quomodo arcana hæc viciſſim ſibi cōmunicent. De homine hoc clariùs. Vix homo cogitare incipit, en in mente veluti in thalamo cogitatio: à mente in memoriā ſpatiatur: numquam inde egreſſura, niſi vt vocanti pareat; à memoria ad aliud fermè procedit

cubiculum, parata & prompta è ſua egredi, & alterius ædem petere, ſi iuſſa: tunc quãdo excedit cogitatio, alteri detegitur, & loquitur homo. Cuncta hæc luculentiſſimè D. Thomas. *Intelligibile eſt in intellectu tripliciter, primò quidem habitualiter, vel ſecundum memoriam, ſecũdò in actu conſideratum, vel conceptum: tertiò vt ad aliud relatum. De primo gradu in ſecũdum transfertur intelligibile per imperium voluntatis, de ſecundo in tertium ſimiliter per volũtatem conceptus mentis ordinatur ad alterum.* Cum primò pedem effert cogitatio, haud è ſua egreditur domo: ſecum enim loquitur homo, dum cogitat. Vndè ſubdit idem S. *& hoc quòd conceptus mentis Angelicæ ordinatur ad manifeſtandum alteri, per volũtatem ipſius Angeli, conceptùs mentis vnius Angeli innoteſcit alteri, nihil enim eſt loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifeſtare.* Quamuis difficile nimium ſit, illuſtrare quo pacto cogitatio ab vnius excedat, vt cõcedat in alterius mentem: quomodo eam audiens excipiat, ad eam non excitatus. Docet id tamen præclarè exemplo colloquentium D. Thomas: vt enim ad vnius loquentis vocem excitatur al-

D. Tho p. p. q. 107. art. p.

ter

ter, vt audiat: sic suo modo Angelus signo iutelligibili excitatur, vt colloquentis alterius excipiat verbum. Sic ille. *Vt enim per signum sensibile excitatur sensus, ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens Angeli ad attendendum.*

151 Quæ sit hæc virtus excitans quęnã Angeli lingua (Virtus enim ipsa, metaphoricè lingua, dicitur) Signum naturale, an volũtarium: alterutrũ dicere necesse est, sed vtrobique scopuli, & syrtes, Si primum: Quomodo non omnes aduertunt ad vnum loquentem? cur cum omnibus non loquitur, qui cum vno? Si res ita se habet, vbi secretorum communicatio? quis ex fumo non conijciat ignem? è suspirijs dolorem? è risu lætitiam? si alterum dicas, quo pacto Angelus, in quem conceptus dirigitur, non admonitus signum percipit? & si admonitus, quomodo sine verbo? & si verbo, dum doces modum, quo colloquantur Angeli, vltrò concedis incognito modo iam loquutos. Concludo signum dicendum voluntarium, quia est ad loquentis voluntatem: sicut & mortales vtuntur voluntarijs vocibus, dũ loquuntur. Si de priore loquutione

Angeli signum volũtarium ne an necessarium.

Angelorum secreta locutio qualis.

Angeli mẽs quo pacto excitetur ad audiendum colloquium Angelorum.

& signis vrgeas, respondeo iam pridem illa indidit Deus, Angelicam condens naturam, satiùs Angeli à Numine edocentur, quàm ipsi à se; Deus signa hæc mentibus Angelorum ingessit, vt ad voluntatem vterentur. Angelorum enim mutua cummunicatio ad supremi moderatoris prouidentiam pertinet. Si mauis nominare signa hæc naturalia, cũ ingesta sint à numine, ab ipso conditæ naturæ exordio: de vocibus non litigo, dum tu de re mecum sentias, & hactenus de Angelorum linguis.

Beatorum lingua qualis.

152 De Beatis quid? quo pacto in cœlis eorum colloquia? indubiè per voces. Dedecet homines, qui corpore constant, vocales non esse. Hinc cogitatio à memoria exiens, excedens in mentem, adhuc lateret, nisi ab ore, linguam, veluti ianuam per ponticulum egressa, introiret aurium fores, inde ad audientis mentem penetrans. Scitè Greg. *Intra secretum mentis in quo quasi post parietem stamus, sed cum manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguæ ianuam egredimur, & quales sumus, extrinsecùs ostendimus.*

Greg.

153 Quale linguarum genus: quæ

voces

voces vſurpētur à Beatis, incertum. Sunt qui affirmant vocibus vſuros, quibus Adam naſcente mundo. Alij probabiliùs, quibus Incarnatum Dei Verbum; quando aperiens os ſuum docebat turbas; omnium enim exemplar verbum, ſed verborum, & linguæ potiſſimùm. Vtinam eò perueniamus, vbi ſancta illa ſocietas: quæ lingua, quæ voces, qui loquendi modus ſit ibi futurus; experiri magis, quàm ſcire aueo.

Domine bonum eſt nos hic eſſe.

Gaudium verum, & perpetuum in Deo, & à Deo.

ANNOTAT. XX.

154 PEtrus non modò ſpe futurorum lætus, ſed ab ipſo, quo truebatur bono, fermè beatus, effuſus in gaudia clamat. *Domine bonum eſt nos hic eſſe*. Quarè, vt perpetuò in monte ſit, eo ordine ſtruere tabernacula cogitat, vt Ioannes Eliæ; Iacobus Moyſis; ipſe Chriſti Cur tria tabernacula, & non ſex.

perpetuus foret contubernalis. Luculenter Carthusianus. *Quare non dixit faciamus sex tabernacula? putauit in illis tabernaculis se, & duos discipulos recipi posse, ac commorari. Sic tamen, vt ipse esset in tabernaculo sui Magistri carissimi, ex quo æternare sua gaudia putat.* Respuit Petrus gaudia, quæ non sunt æterna: Temporalia miseriam acuunt magis, quàm auferunt: laruata illa sunt, quorum extrema à gaudijs abstulit, qui illa æterna fecit.

Carthusianus.

Petrus Christi appetit conturbernium.

155 Publius Mimus in expendendis mundi illecebris maximus, ait, *Heredis fletus sub persona risus*. Risus, qui cum fletu coniungitur, commentitius est, non verus. Dicam melius. Fletus in gaudii bona, quasi heres se intrudit: vix aspicit illud laborans in extremis, & occupat hereditatem, ac expilat. Turpis mistio, gaudium triste; quamuis vltima, aliqua tamen gaudii pars luctus est. Ita Sacer auctor, *Extrema gaudij luctus occupat*. Paulus ab his laruis eximit Philippenses suos, non fictitia, nec vana gaudia iubet, sed perpetua, & vera. *Gaudete*, inquit *in Domino semper*. Sed quomodo homo semper in gaudio est? an immemor

Publius mimus.

Mundi risus non verus.

Gaudij hereditas expilata à luctu.

Paulus ad Philippenses.

Pau-

Paulus, nos in valle lacrymarum natos, & ad miserias damnatos. Atqui Apostolus geminat iussa, inquiens. *Iterum dico: gaudete*. Ioannes Chrysostomus aureis verbis nodum hunc soluit. *Pauli*, inquit, *breue verbum, sed altum hunc vobis aperuit thesaurum: non enim semel dixit, gaudete simpliciter, sed addit cõtinuam voluptatis causam, cum dixit gaudete in Domino semper. In Domino gaudete, ex accidente nullo voluptates hæ excidere possunt, nempè cuncta in quibus gaudemus mutabilia sunt, & in transitu facilia, facilè vertuntur, Deum sicuti oportet time, & in ipso confide, voluptatis radicem lucratus es, & omnem habes letitiæ fontem*. Non timet à luctu, qui habet deliciarum fontem, & radicẽ gaudiorum. Non veterascit arbor, quando iugiter pullulant noua germina. Non deficit deliciarum vnda, vbi fons perennis inundat. Deus est & radix, & fons gaudiorum. Semper gaudet, qui in Domino gaudet: gaudia sine Deo, fructus eradicatæ arboris, pigra stagnans vnda, à fonte non effluens.

Chrysostomus hom. 18 ad populum

Gaudia perpetua non nisi à Deo.

156 In Deo gaudia firma sunt, & radicata. Inter fructus Spiritus Sancti, Gaudium numeratur, quod

Gaudia mundana & spiritualia differunt.

ex charitatis radice prodit. Mundana omnia sine radice, immò excerpta ab arbore poma, naui credita, vt aliò ferantur, de quibus Rex Vsitanus: *quasi naues poma portantes*. Marcescunt illicò si protinus non deuores: fugacia medici dicunt poma saluti noxia, potissimum æstiua. Hæc sunt vana gaudia, quæ occupat luctus. Gaudiis perpetuis, quæ in Deo, quæ in charitate radicantur, fruuntur iusti, hi in Domino gaudent, & delicijs inundant ex torrēte voluptatis, & deliciarum fonte.

Iob cap.

157 Magnum discrimen inter scyphos potorios, quibus homo bibulus vtitur, & vbera quæ sugit puer: epotet ille, calices hausto vino vacant: si redit sitis, vina non redeunt. Contra, vbera sugenti, lac semper abundat: fluit iugiter, veluti à perenni fonte numquam arescente. Gaudia quæ à Deo sunt, perpetuò fluunt; veluti à materno pectore. Hinc Deus *Sadai*, dicitur, hoc est vberū, ex quibus iusti lac, quasi mare sugunt, quia Deus fontes & flumina gaudiorum cælat in pectore. *Flumina è ventre eius fluent aquæ viuæ*: Sunt mortalibus pocula, sed sine fonte: lacessunt magis, quam extingunt sitim. Hinc Hierem.

Esai. 66.

Gaudia Dei sunt vbera: gaudia mūdi pocula sint vino.

Hierem¹. prauorum habitacula nominat. *Terram sitis, & imaginem mortis*. Egregiè Ber. ait, *Omnia quæ in mundo sunt finem habent, verum vbera non sic; hæc enim cum exhausta fuerint, rursus de materni pectoris fonte sumunt, quod propinēt sugentibus, Meritò proinde meliora carnis, seculiue amore asseruntur vbera sponsæ, quæ nullo lactentium numero arefiunt, sed semper abundant de visceribus charitatis, vt iterum fluant; flumina siquidem fluūt de ventre eius. sic in ea fit fons salientis in vitam æternam*. Hier. c. 2. Ber. ser. 9. in Cant.

158 Non fugax sed permanens, & radicatum gaudium Petro est, cum clamat, *Domine bonum est nos hic esse.* Dicit bonum, vt explicet radicatum. Nulla firmior gaudijs radix ex Doctore Angelico, quàm bonitas ipsa. Gaudium est amoris partus, clariùs idem Sanctus: *Gaudium, quo gaudemus de bono diuino, secundùm se consideratо, & tale gaudium charitatis permistionem tristitiæ non patitur. sicut nec illud bonum, de quo gaudetur, potest aliquam mali admistionem habere*, Ideo *Apost. dicit. Gaudete in Domino semper*. Bonitas, radix gaudiorum. D. Tho. 2. 2. q. 28. ar. 1. in corpor. Ad Philp. 4.

159 Pura gaudia sunt à Deo: Vndam à fonte potamus; nulla ibi tri-

stitia

stitia admista, Iustis tristitia ipsa vertitur in gaudium: prauis gaudium euadit triste. Sanctus Greg. voce opportuniori iubilum nominat, iustorum gaudium, eò trahens illud
Iob. 33. Iob. *Videbit faciem eius in iubilo. Iubilum enim dicitur, quando ineffabile gaudium concipitur mente, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri, & quibusdam modis proditur: Vnde Dauid dixit Beatus populus, qui scit iubilationem*. Ab hoc iubilo læta illa, & gaudij plenissima vox Petri. *Domine bonum est nos hic esse*.

160 Parum loquitur, quia tanto gaudio impares experitur vires: non enim excessus gaudiorum definiri humanis vocibus potest. Acutè Augustin. illustrans Vatis verba. *Quid est (inquit) in iubilatione canere, exultare, lætitia veluti impleri, tanta lætitia, vt eam verbis explicare non possis: auertunt se à syllabis verborum; & eunt in sonum iubilationis. Iubilus sonus quidam est significans cor parturire, quod dicere non potest, & quem decet ista iubilatio, nisi ineffabilem Deum, & si ineffabilis est, qui fari non potest. & si eum fari non potes, & tacere non debes, quid remanet, nisi, vt iubiles, & gaudeat cor sine verbis? In mensa*

Aug. Cor. 1. in psal. 32. Christi præsentia inexplicabile gaudium confert.

læti-

latitudo gaudiorum metas non habet syllabarum.

161 Cor gaudiorum capax, quia Dei non incapax. Lingua ea, quibus cor fruitur, loqui non potest, quia ineffabilia sunt: nititur similitudinibus significare, quod ipsa non valet, sed etiam est & similitudinum expers; quibus id significet. Sanctus Gregorius Nissenus illustrans illud Canticorum ex sua versione, *similitudines auri faciemus tibi, cum notis argenti*, id firmat, *Qui asserunt nobis bonas aliquas considerationes de intelligentia mysteriorum, dicere quidem non possunt quemadmodum se habet ipsorum natura: dicunt autem splendorem gloriæ figuram substantiæ, formam Dei verbum in ipso, Quæ quidem omnia nobisqui diuinum illum thesaurum non aspeximus, videntur esse aurum: iis autem, qui possunt aspicere ad veritatẽ sunt auri similitudines, & non aurum, apparens in subtilibus notis argenti. Argentum autem est verborum significatio, sicut dicit scriptura; Argentum ignitum lingua iusti. Quod ergo per hæc significatur, est huiusmodi, nempè quod diuina natura superat omnem, quæ comprehendit cogitationem:* Sancti Patres characteribus quibusdam argen-

Gaudium Paradisi, gaudium est ineffabile.

Cantic. 1.

argenteis diuina gaudia explicarunt, immensum gloriæ aurum, quomodo poterant argenteis notis significarunt.

162 Notentur argenteis, aureis, gemmeis characteribus syllabæ, quibus describuntur æterna gaudia. Nihil hoc iuuat: *Immensa latitudo gaudiorum metas non habet syllabarum*: nulli margines hæc fluenta, nulla littora hæc maria definiunt. Petrus, Summitas theologorum, dicens, *Bonum est*, pauculis verbis multa complectitur. Diuina oportuniùs paucis explicantur, quàm multis. Generatim de Deo loquendum est. Errat qui ad particularia descendit. Nomen Numini maximum, est vniuersalissimum, Ipsum est. quo magis ad particularia descendis, eò magis à Deo discedis. Si quæris summa, cur descendis ad infima? Iniuriam infert summo bono, qui per gradus entis graditur; tunc enim descendit non ascendit. Maior inquisitio multiplicat errores: supra hæc omnia, quem quæris, Deus est. Damascenus ait, *Principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur nominibus est, Qui est. Totum in se ipso comprehendens, velut quoddam pelagus substantiæ*

De Deo generatim. Loquatur, qui errare non vult.

Damascenus.

stantiæ infinitum, & indeterminatum. Altam radicem habent vera gaudia; Deum ipsum, quid igitur explicare tentas? *Immensa latitudo gaudiorum, metas non habet syllabarum.* Egregiè Petrus. *Bonum est nos hic esse*, nā, vt docet Boetius: *Beatitas status est omnium bonorum aggregatione perfectus*, quia in summo bono radicatur: Hinc lætitia, gaudium, exultatio, Iubilus dicitur. lapides ipsi exiliunt, ipsi Montes exultant præ gaudio, quādo Deus præsens. Quid aget homo, vt sit sēper lętus? in Deo exultet. Dauid ait, *Tabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt tota die.* Vbi eleganter August. *Thabor, ait, & Hermon in nomine tuo exultabunt tota die: si volent tota die; innomine tuo exultabunt: si autem in nomine suo exultabunt, non tota die exultabunt, non in gaudio perseuerabunt.* Vix diei vnius gaudium hominis. Æternum radicatū illud Dei est. Quid diei vnius? dicam momentaneum, *Ducunt in bonis dies suos, & in momento ad inferna descendunt.* Quamuis momentaneum vtinam esset verum: fictum est, vanum, commentitium. Luculenter Augustinus in verba illa Isaiæ. *Non est gaudium Impijs Vtique videbat Isaias homi-*

Boetius.

Montes exultant coram Deo.

Psal.

Aug. in psal. 90.

Impiis Nullum gaudiũ.

homines in potatione, in luxuria, in theatris, in spectaculis: totum Mundũ luxuriari varijs nugis, & tum clamabat, non est gaudere impiis dicit Dominus, si hoc non est gaudere, quale gaudium videbat, in cuius comparatione hoc non erat gaudium, tamquam si tu nosses solem, & alicui laudanti lucernã diceres: non est ista lux. Quæ momẽtanea sunt, ne dicas gaudia, vix semigaudia quæ luctus occupat. Redeat idem Sanctus Augustinus, expendens Pauli dictum. *Quasi tristes, semper autem gaudentes. Tristitia nostra* inquit, *habet quasi, quia in spe certum est. quare tristitia nostra habet quasi, quia sicut somnus transit. Nouit charitas vestra quia qui somnum indicat, addit, quasi. Quasi equitabam, quasi disputabam. Totum quasi; quia cum euigilauerit, non inuenit quod videbat. itaque, qui ad lætitias, seculares oculos aperiunt, & cor claudunt, transit quasi eorum, & venit verum ipsorũ: quasi ipsorum felicitas est seculi, verum ipsorum pæna est, Nostrum autẽ quasi tristitia est. Gaudium non est quasi, Quasi tristes semper autem gaudentes*. Sunt igitur gaudia mundanis vix vnius diei: momentanea, quasi gaudia. Christiane, in manu tua est

2. Cor. 6. August. in psal. 48.

Christianus potest conuertere gaudia momentanea in æterna.

eſt, vt momentanea facias æterna, contemne temporalia, habebis æterna. Deus hoc tibi ſpondet. *Momentaneum hcc & leue: æternum gloriæ pondus operatur.*

Domine: bonum eſt nos hic eſſe.

Deus amore amicitiæ, non concupiſcentiæ, amandus.

ANNOTAT. XXI.

163 PEtrus dum tabernacula figere in Monte parat, meritò à ſacris authoribus, vt imprudens, & inſcius reprehenditur. *Neſciens quid loquatur,* ait Sanctus Lucas. *Neſciens quid reſponderet,* ait Sanctus Marcus. Vnde hæ voces prodeunt, dum Petro neſciente, contra commune bonum erumpunt? Reſpondet Origenes. *Conſiderandum eſt ne fortè per exceſſum mentis hæc loquebatur, motus quodam ſpiritu alieno.* Exceſſerat mens, & ratio; concupiſcentia ſubierat illarum vices, amēs Petrus loquebatur, & à ſe alienus. Ita Ori-

Orig.

In ſocietate viuens, & propria cōmoda procurauit, neſcit quid dicat.

Origenes. *Concupiscens illam spectabilem vitam Petrus, & delectationem ipsius, præponit suam vtilitatem vtilitatibus aliorum.* Sacer ille senatus, vt inscium damnat eum, qui in societate viuens bonum commune priuato, postponit. *Nescit quid loquitur.* Ruit societas cum vnusquisque non omnium, sed suæ dumtaxat, studet commoditati. Ruit orbis, quando præ bono vnius, vniuersa conculcantur, Concupiscentia sui, Petrum reddit à Petro, alienum. *Nesciebat quid responderet.* Deo petenti, *Petre amas me?* perperam respondet, qui amat se.

Deo quo amore respõdendum.

Tunc benè Deo respondet, quando illum amore amicitiæ, non concupiscentjæ diligit, hoc est non Deũ ad se, sed se ad Deum refert. Non à monte, à felicitate, à gloria, á bonis, quæ in nos spargit Deus amandus erit, sed à se ipso. Dicã planiùs: amore amicitiæ Deus diligẽdus, cõcupiscentiæ vero in quantum illa cum amicitia indissolubili nexu vnitur, Non enim probi hominis est in medijs subsistere, qui properare debet ad finem. Eruditè ait Augustinus. Non inuertendus ordo mediorum, & finis, vt fruamur vtendis, vtamur

fruen

fruendis. Inter amorem amicitiæ & concupiſcentiæ magnum diſcrimen eſt, & interdum ingens diſſidium. Ita D. Thomas, & Ariſtoteles. Amor concupiſcentiæ eſt veluti amantis accidens, Amas aurum: illud capax non eſt, vt tibi in amore reſpondeat; ad te redit amor fermè tibi ferens aurum quod deſideras, vt tibi adiaceat: tibi enim amaſti. Amas hominem, illicio amoris illum vocas; ſi reſpondet, & correſpondet amanti, à te egreditur amor non rediturus, ſed fert tibi amicum, vt in te habitet, quandoquidem tu in illo. Amor hic ſubſtantialis dicitur, non enim amas, vt tibi amicus adiaceat, ſed vt tu hæreas illi. Audi aurea D. Thomæ verba. A*mor cum ſit boni, bonũ ſit in ſubſtantia, & accidente dupliciter. Aliquid amatur vno modo, vt bonũ ſubſiſtens, alio modo, vt bonũ accidẽtale, ſiuè inhærens: illud quidẽ amatur, vt bonum ſubſiſtens, quod ſic amatur, vt ei aliquid velit bonum. Vt bonũ verò accidentale, ſeu inherens amatur id quod deſideratur alteri, ſicut amatur ſcientia, non vt ipſa ſit bona, ſed vt habeatur, & hunc modum amoris quidam nominauerunt concupiſcentiam, primũ verò amicitiam.* Pende ex tanto Do-

Amor concupiſcentiæ, & amicitiæ differunt.

D. Thom. p. 1. q. 60. art. 3
Ariſt. p. etic

D. Thom.

Ingenium & natura amoris.

di diuinitatem modus: Dei Amor; hoc Amore,& vnus,& alter trāsformari poterat in creatorem, transit enim amor miro artificio in rem amatam; spatiare quà cœlorum, quà terrarū patet orbis, quālibet naturā elige, si humanam, si cælestem fastidis,& vis diuinam, illuc te ducet sine itinere amor: Deus eris. Intuere in amoris manu clauem, quam illi appinxit antiquitas, hac ille omnia pectora aperit, vt exeant à se,& quò velint, tendant.

165 Deus ipse huic amoris legi se subdidit, vt te miro modo ad diuinitatis fastigium euehat; à te igitur excede, vt in te recludas Deum: expectoratū illius pectus inuenies, intra illud, & posside, à Paulo habes exemplum, qui dum sibi non viuit, viuit Christo, *Viuo ego* ait, *iam non ego: viuit verò in me Christus*.

Deus se amoris legi subdidit.

Egrediendū à nobis, vt Deus in nobis habitet.

166 Sponsa,& ipsa transformatur in sponsum. hoc enim potissimum sibi vendicat connubium, vt in mariti sortem transeat vxor, non suo amplius compellata sed viri nomine. Id innuit Isaias, inducens mulieres desiderantes sponsum, ne anomines forent: *Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, & esto vir noster.*

Sponsæ censentur mariti nomine.

Quamobrem nulla mulieribus tabula, quia non proprio censebantur, sed mariti nomine. Hinc Beatæ Virginis series ex Iosepho sponso orbi innotuit: sed si connubium transfert nomen, amor naturam fermè mutat. Oscula quà sunt amoris signa, sunt transmissi vicissim spiritus argumentà. Hinc sponsa ait: *Quis det vt inueniam te foris, & osculer te*. Hui foris oscula! Egregiè Ambrosius *Bona anima quæ foris est, vt verbum habitet in nobis*. Clauicularius est amor: expectorat sponsam, vt ibi reponat sponsum, in visceribus sponsi sponsam reperies. Verũ numqnam ingreditur ille, nisi à se exeat ista, & in sponsi pectus migret. sponsa id fatetur. *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Si sponsa ad se reuertitur, statim abijt sponsus, quia ipse exessus sponsæ, ingressus sponsi est.

Ambros.

Quomodo amans amore amicitiæ quomodo concupiscẽtiæ.

167 Ama igitur amore amicitiæ, qui reuerti ad se uescit; non concupiscentiæ, qui egreditur rediturus. Petrus dum tabernacula figit Deo remuneratori, à se abiit in Deum, sed ad se reuersurus aucto cẽsu, nimirum remuneratus. In Deo tabernacula ædifica, numquam rediturus ad te

ad te. Liceat tibi interdum, Deum vt glorificatorem expetere, dummodo ibi tabernacula non figas. Actum amoris edis in Deum beantem; verum quid si non bearet, etiam amabis, ipse enim sui ergo, & super omnia amandus. Subsistis aliquantisper gloriam desiderans, placet: benequidem; sed ad Deum deindè redi, ne in medijs tandiù inmoreris, vt finis sis immemor, & inuertas ordinem, vt dicebat Augustinus Vtaris fruendis, & fruaris vtendis, Deum faciens accidens tuum, dum non super omnia diligis, sed tui ergo Deum amas.

168 Noli ex his esse, qui honesta in mercedem colunt; quibus non placet virtus gratuita, quæ nihil habet in se magnificum si quidquam habet venale: exhorret Deus mercennarios, qui non seruiunt, nisi pacta mercede; quos lucrum tantummodo, & non amor stimulat ad seruitutem. Commoda nostra calcanda, vt ad Christum nudum, & decussatum tendamus: puta quod nil tibi promittitur extra, commoda quæ indè tibi obuenerint, inter accessiones numera: Amoris pretium ipse Deus erit, amandus, non quia bonis

Christus odit mercenarios.

cumulat, aut te beat, sed quia est summum bonum,& amore dignum. Ludouicus Blosius, feculi sui præclarum sydus in vita Geltrudis; refert à Christo Sponso his verbis monitam Sanctam illam Virginem. *Vellem electis meis persuasum, quod eorum bona exercitia, & opera mihi omninò placent, quando ipsi seruiunt expensis suis.*

Blosius in vita Geltrudis.

169 Si verò Deum times, vt iudicem & vindicem, non amas vt Patrem. Scias tunc non filium te, sed seruum esse, Amicus tunc eris, cum timorem in amorem vertes. Rectè Sanctus Bernard. ser. 83. *Seruilis est timor, quamdiù ab amore non manumittitur.* Concupiscentia, amoris soboles adulterina tamen, quippe non à bono honesto, sed à semibono, nimirum ab vtili nata, legitima tunc redditur, quando cohonestatur ab amicitia. Bonum vtile via est ad honestum, in hac via non tam rigidè exigo, vt non aliquantulum subsistas: subsiste, sed semper sit tibi finis in mente. Amatur Deus, vt tribuens beatitudinem, verum si illam non daret, adhuc in eodem amore persisteres, sic non figis tabernacula in monte, & in loco gloriæ; sed ædificia

Bern. serm. 83.

Concupiscētia amoris filia adulterina.

Amicitia vera filia.

Bernard.

ficia in numine ipso stant, eò firmius, quò Deus eorum operum statumen est.

170 Sanctus Patriarcha Abraham eodem modo cum Deo se gessit, siue filium heredem sui, siue Dei victimã spectet. Egregiè Zeno. *Eodem ferro mactauit arietem, quo filium percutere iam parabat; à filio ad agnum transtulit dexteram, semper, lætus & gaudens:* Sic & tu, eodẽ vultu, corde, ore Deũ adora, Deum ama, si Cœlos tibi referat si Orcum: bona, ac mala pari animo ab illo accipe: ita Sanctissimus Patriarcha Iob. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est:* Vnum tibi studium sit, vna cogitatio Deo morem gerere: ò quam bonum tibi! si sic te habebis.

Zeno ser. 2. de Abraham



Nesciebat quid diceret.

Perperam sibi consulit, qui Beatitatem, & quietem à loco sperat.

ANNOTAT. XXII.

Ad beatitatem nil pertinet locus.

171 Falleris Petre, si putas à sasseo montis cacumine excerpere beatitatem, non à loci seu celsitudine, seu latebra, comparatio boni, sed à Deo: non ideò beatus quòd es in monte, sed quia cum Deo moraris. Ipse est, qui ad suam voluntatem loca distribuit, in quibus experiaris vim gratiæ; & gloriæ felicitatem. Accomodare assolet Deus loca mysteriis, non mysteria locis. Elegantissimè Ambrosius. *Promissurus Iesus Regnum Cælorum, montem ascendit: alibi per sata ducit seminaturus in eorum affectibus Cælestium segetem præceptorum, vt messis animorum fæcunda flauesceret: consummaturus suscepta carnis officia, cum perfectionis in discipulis iam videret, quos verborum suorum radice fundauerat: ortum ingre-*

Ambrosius lib. 3. de spir. 18.

ditur

ditur, vt olearum nouellas in domo domini plantaret, & iustum, palmæ florentiis modo, vitemque fecundam riuo sui sanguinis irrigaret. Hoc quoque loco, in porticu Salomonis deambulat, dedicationis vt legimus, die, hoc est in pectore sapientis, atque pacifici deambulat Christus, eius sibi dedicaturus affectum. An circumscribitur loco Deus? vt olim insipientes illi, qui putabant alios vallium, alios montium Deos esse. Vnus qui montes, qui valles, qui omnia moderatur Deus est. Cum illo vbique eris beatus. Pontifex maximus secũ fert Romã; sed Deus paradisum, non esse in tali loco, sed Deo adiungi bonum est: corrigat Piscatorem pastor. Petrũ Dauid: non inquit, *bonum est nos hic esse: sed mihi adhærere Deo, bonum est;* quia bonitatem non à loco, sed à Deo habeo.

Loca nobilitatem habẽt à virtute. in psal. 92.

Dauid Melius loquitur quàm Petrus

172 Quid Paradiso nobilius: quid vilius fimo? si è loco penderet probitas: esset bonitas in Paradiso, in fimo prauitas. Sed audi Sanctum Præsulem Augustinum. *Iob in stercore est cautior, quàm Adam in Paradiso, nam Adam in Paradiso consensit mulieri, vt de Paradiso emitteretur. Iob in stercore respuit mulierem, vt in*

Paradisum admitteretur:

173 Imò hoc virtuti proprium, ignobilia, & fœda loca, in clarissima: & nobilissima vertere. Turpis locus, & infamis, lupanar, cuius vel ipsum nomen virgini est horrori, puritas tamen ex eo non læditur, sed augetur, & sanctificatur in templum. Audi Sanctum Ambrosium de puritate cum Virgine loquentē. *Claudite aures Virgines Dei: ducitur puella ad lupanar; sed aperite aures Virgines Dei. Virgo prostitui potest, adulterari non potest. Vbicumque Dei Virgo est, Dei templum est. Nec lupanar infamat castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam; ita de lupanari non solum Virgo, sed martyres exierunt:*

Loca immūda virtutibus purgantur.

Libr. 2. de Virgini.

174 Perpetuus tam gloriosi montis, in quem è cælis, è terris, ab inferis viuentes & mortui confluxere incola esse ambit Petrus; putans futurum, vt hæc rupes stillaret dulcedinem, luce refulgerent illius saxa, omnia ibi gloriosa forent; sed fallitur: descendente Christo discessit à loco felicitas, quæ affixa virtuti, & extranea à loco erat. Egregiè Ambrosius expendit Adam formatum in terra, Euam in Paradiso, at tantò nobi-

A Christo bonitas tota, nulla à loco.

nobilior Adamus Eua, quantò cæteris membris caput. Perperam virtus à loco mensuratur, quem virtus ipsa dimetitur. *Illud aduerte, ait* Ambrosius, *quia extra Paradisum vir factus est, & mulier intra Paradisum, vt aduertas, quòd non loci, non generis nobilitate, sed virtute gratiam vnusquisque sibi comparat. Denique extra Paradisum factus, hoc est, in inferiori loco vir melior inuenitur, & illa quæ in meliori loco, hoc est in Paradiso facta est, inferior reperitur. Mulier prior decepta est, & virum ipsum decepit, & Paulus ait, quia Adam non est seductus, sed mulier seducta in preuaricatione fuit.* Paradisus sine Deo Orcus; Orcus cum Deo Paradisus est.

Ambrosius de Parad. c. 4.

175 Nemo itaque monti fidat; ab illo nec beatitatem, nec quietem speret; Non enim firma, & constans rupes constantiam suis habitatoribus communicat, sed Deus, in quo quilibet, quamuis in insanis aquarum fluctibus, stat firmus. Scitè Origenes. *Filij Israel ambulauerunt per siccum, & si filius Israel es, potes ambulare per siccum in medio mari: si fueris in medio nationis prauæ, atque peruersæ, sicut lumen solis. Verbum vitæ continens ad gloriam potest facere, vt in-* me-

Iustus monte validior.

Exod. 15.

Orig.

Exod. 15.

medio peccatorum incedentem non infundat humor peccati. Deus est, qui substantijs immutatis potest cælum suspendere, montes diluere, aquas durare, omnia inuertere: sic ludit interdum rerum omnium moderator, vt illudat mortales, qui in his infirmis mundi, se suaque firma putant.

Iustus vertitur in Montem.

176 Deus est, qui sibi fidentem vertit in montem. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commouebitur in æternum qui habitat iu Ierusalem*, Ita Rex Hebræus. In Deo spem tuam reponas, montem tu firmitate superabis. Mons tui indiget, non tu Montis. Rupem legimus seruo Dei famulatam. Gregorius prodigium miraculorum, à quibus, & Taumaturgi nomen sortitus est, templum Deo structurus, sed angustiis loci exclusus, rupi impendenti imperat, vt tantum loci cedat, quantum necessarium ad templi structuram foret: iussa à Sancto, cessit rupes & repente explicuit se in planitiem, in qua commodè Templum ædificatum est. Incassum à monte felicitatem querit Dei amicus, qui infirmare, vel firmare montem ipsum potest. Petrus petra est, Taborino monte solidior; in ipsum inferorum

Gregorius Taumaturg.

Iustus montibus firmitatem communicat.

por-

portæ, hoc est dæmones, nunquam præualebunt, qui in montem quàm valenter incurrant, Vesuuius noster contestatur, quem sæpè agitatum, inflammatum, concussum ab inferorũ spiritibus affirmat Petrus Damianus: & nos experti sumus.

Mons Vesuuius agitatus à prauis spiritibus.

P. Damian. li. 1. epist. 9.

177 Interdum à secessu, & à montis culmine quies, fateor; quia ibi turbæ non turbant: nubes, & tonitrua cælum non exasperant, fulget sol liberiùs; subductus à curis animus meliùs Deo vacat, & saluti; Verum non à loco, & à secessu hæc bona, sed ex animo integro, & sceleris puro. Frustra enim à loci mutatione hoc petit, qui secum fert vitia. Qui vult quietem animum mutet non Cælum: quamuis recedat à terra, sequentur illum quòcumque peruenerit, sua vitia. Eleganter Horatius, *Nauibus atque quadrigis petimus bene viuere: quod petis hic est: vbi vis, animus si te non deficit æquus. Bene viuere omni loco positum*, ait Seneca. Qui verum montem cupit, in quo Deum videns beatè viuat, obediat S. Augustino: *Deum vis videre? prius confitere tu, & sic tu te ipso sis locus Dei; quia factus est in pace locus eius; quamdiù enim non confiteris peccata*

Constantia omnis ab animo, non à loco.

Horatius.

Seneca.

Aug. in psal. 15.

Confitendo peccata locũ Deo paramus.

cata tua, quodammodo rixaris cum Deo. quomodo cum illo non litigas, qui quod illi displicet laudas? litigas cum Deo, nō fecisti illi locum in corde tuo, quia in pace factus est locus eius. Incipe illi in confessione, Psalmi vox est dicentis, Incipite adiungi Deo, vt hoc vobis displiceat quod & illi displicet. Frustra petit Petrus sedere in monte cum in ipso firmatur mons Syon, mons pacis, Ecclesia tota, vbi fœdera init cū homine numen; cum enim Petro creditæ sint claues Cælorum, in illo, tamquam in firmissimo monte, stat fides, & pax Ecclesiæ. *Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Syon.* Nos cum Petro in Syonis monte sumus, nos benè Petram desideramus, in illa stabilis, & constans sedet nostra spes, nostra fides, cum Petrus portas Cælorum aperit nulla nobis cum Deo lis erit, nec pugna, sed pax summa. Nos in illo, & cum illo exultantes lætitia dicemus. *Domine, bonum est nos hic esse.*

Varietates mansionum cælestium, pro meritorum varietate.

178 Ex hac rupe ad verum Montem, qui Christus est, erumpimus; in quolibet eius angulo, & pacem reperimus, & quietem. Mellitissimè Abbas Clareuallensis multos refert, qui habitantes in hoc monte veram bo-

bonitatem, & quietem inuenere. Cuius dulcia verba referre iuuat. *Denique mulier vna secus pedes Domini Iesu sortita est locum, cum altera sua deuotionis ad caput inuenerit (si tamen altera) Porrò Thomas in latere, Ioannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio Cælo secreti huius gratiam sunt assequuti: sic apud sponsum mansiones multæ sunt, siue regina, siuè concubina, siuè etiam de numero sit adolescentularum, congruum quæque pro meritis accipit ibi locum, terminumque quousque liceat sibi contemplando procedere, & introire in gaudium Domini sui.* Non in valle, non in monte, sed in Christo, & vbi ipse iubet, gaudio triumphans, clama *Domine bonum est nos hic esse.* Bern. serm. 23. in Can.



Ne

Nesciebat quid diceret.

Beatitudinis indignus, qui illam ante laborem expetit præcipuè si pastor.

ANNOTAT. XXIII.

179 PEtrus ineffabilis visionis dulcedine captus, in monte esse ibi quietè, & sanctè viuere petit. Verum petit id imprudens, quà seruus Dei, quà dominici gregis pastor; præpostero enim ordine, finem ante media, præmium ante labores, mercedem ante meritum poscit. Sanctus Augustinus ait. *Descende Petre labora, suda, patere aliqua tormenta, argue, hortare, increpa, prædica veritatem, tunc peruenias ad æternitatem.* Descendat Petrus, labor illi nunc magis proficuus, quam ipsa Dei visio. Petro loquenti nullum datur responsum, quia nesciens, & inconsideratè loquitur. Præclarè Magnus Pontifex Leo. *Non respondit Petro, vt intelligeremus inter tentationes huius vitæ prius nobis tolerantiam postulandam, quam gloriam.* Cruci-figa-

Beatitudo ante labores præpostere queritur.

Petro magis proficuus labor, quam visio diuina

Leo. Qui Deum cupit videre vel mortuus esse debet, vel mortificatus.

figatur caro, vt spiritus beari possit; ita numinis decreto definitum est. *Nemo videbit me homo, & viuet*. Ad hunc sensum D. Augustinus *Intantum videbit Deum homo spiritualiter, & viuet, in quantum carnalibus operibus moritur, vt dicat Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo*. Currus, quo vehimur ad beatitudinem, Crux est. tunc celeri pede currimus ad hanc metam, quando clauato: pertingimus, quando morimur; Mundus vrget nos ad Deum, quando spinas, flagra, fella, clauos, ipsam Crucem ministrat. Paulus se cælos tenere, & in illis conuersari, gloriatur, cum Mundo, veluti Cruci, affigitur. *Mihi Mundus crucifixus est, & ego mundo*. Crucifigatur Mundus, nullas ille delicias ministret, Deum tunc videbimus & ipso fruemur.

Aug. l. 2. de Trin.

Quando Mundus nō ministrat delicias, sed tribulationes, tunc sumus in via ad beatitatē.

180 Currit Iacob ad Deum aspiciendum nomine Israelis cohonestatus, quandò emarcuit femur, quādo pede claudicat: Egregiè Sanctus Hieronymus. *Iacob Mesopotamia derelicta, terram promissionis ingrediens, non ante Israelis sortitus est nomen; quam neruus femoris eius emarcuit*. Ad Dei visionem necessaria,

Iacob. Currit ad videdum Deum quādo claudicat.

S. Hieron.

vel mors, vel mortificatio est. *Non videbit me homo, & viuet.*

Armata pulcritudo diuina qui eam vult intueri pugnare debet.

181 Qui ad Dei pulchritudinem inspiciendam festinat, enses,& arma penetret oportet; quandoquidem ipsa pulchritudo diuina à Rege hebræo armata describitur. *Speciosus forma præ filijs hominum*: subdit *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* Quasi ad ingentis formæ custodiam strictus accedat gladius. Ignauo,& inermi militi, non datur hæc præda. Hieron. hortatur Principiã Virginẽ ad arma capessẽda, si triumphare de hac pulchritudine vellet, *Gloria tua, & decore tuo. Istum arbitror te locum intelligere: accinta Christi gladio militare.*

Psalm. 44.

Hieron. ad Principium Virg.

Petrus, quia Pastor magis debet laborare.

Etsi omnibus, vel ad conseruandum animæ decorem, vel ad videndam Dei pulchritudinem stringere gladios necesse est, præcipuè Petro, qui debet *Arguere, hortari, increpare, prædicare*. Orbis terrarum peccatis mundat, & tu deses, & otiosus eris in Monte? descende, & labora, vt mortalibus consulas; hac de causa, tibi clauis datur,& gladius, laborem amplectere; ante quam petas gloriã, domesticum habes à præsule tuo Christo, quod imiteris exemplum, qui

qui beatitudinem respuit ante Crucem, dotes beatas Sanctæ illi carni debitas repudiat, antequam nostræ salutis ministerium absoluat: quamuis & subtilitas in vteri virginalis egressu, & agilitas in medio mari, & claritas in transfiguratione, & apathia in cæna se proderent, tamen Sancti illius corporis hospites fuère non ciues; extraneæ non domesticæ. Rectè Carthusianus. *Christus ante passionem assumpsit quatuor corporis dotes per modum tantum transeuntis: subtilitatem, egrediendo in natiuitate de clauso dulcissimæ Virginis vtero. Agilitatem, ambulans super aquarum fluenta, Claritatem in transfiguratione: Impassibilitatem in consecratione, siuè porrectione corporis sui in cœna*. Dotibus beatis, quas vix admisit ad hospitium præsul, Vicarius, & domos ædificare, & parare tabernacula audebit? Nescit quid dicat; quid faciat Petrus nescit, dum beatitudinem, ante labores, præmium ante merita petit.

Carthusian. Matth. 17. Christus ante passionē dotes beatas habuit per modum trāseuntis.

182 Labor; Crux, molestiæ, sunt dispositiones, & apparatus ad gloriā: Ad hanc visionem, quam sæpe diximus fuisse futuræ beatitudinis gustulum, non imparatos accersit suos

Christus: sex dies præmisit, quibus intenti ieiunijs, orationibus, piisque alijs operibus, ad tantum se adornarent mysterium. Ita Abulensis Doctor: *Sex elapsis diebus assumuntur ad Montem, vt parent se, quia visuri erant rem altissimam, vt deuotiùs viderent: & propter magnitudinē rei, ne paruo quæsita labore Dei dona vilescerent.* Imprudens igitur Petrus petit otium & sedem in monte, vt foret perpetuus pulchritudinis Christianæ speculator.

Abulens. hic Dei dona vilescunt, ni si labore quærantur.

183 Descende igitur: tibi, & gregi tuo labora. Deliciarum locus infidus est mortalibus, laborum tutus. Adam è Paradiso ruit ad ærumnas, Paulus ex ærumnis emergit ad Paradisum. Egregiè Chrysostomus. *Quando in voluptuosa vita degebat Adam in Paradiso, excedit: quando vitam agebat Paulus in labore, & ærumna, noctem, & diem operans, tunc in Paradisum raptus.*

Vita in deliciis periculosa, in tribulationibus tuta. Chrysost. hom. 1. ad populum.

184 Descende Petre: non mons, non hortus deliciarum tibi demandatur, sed Vinea Christi. Illam in viridarium conuertere est imitari impium Regem, qui vineam in hortum commutauit: sed malum factum Nabhot inter lapidum turbinem im-

Vinea præsens vita nō hortus: ideo laborandū.

impedire non destitit, vt eleganter ponderauit Sanctus Hieronymus. *Achab Rex Israël vineam Naboth vertere in agrum cupiebat, quod ille iusta legis tropologiam intelligit, mori maluit, quàm facere, vt hereditas paterna, & antiqua possessio in delicijs verteretur*. Nescit quid faciat Petrus, dum vineam Christi funiculum hereditatis eius, plantare in monte: & vertere in deliciarum hortum designat.

Hieronym.

185 Descende igitur Petre, & labora. Es in monte, es in horto, verte illos in vineam: sit tibi primus omnium Parens exemplo, de quo hæc Philo; *Quamuis Paradisus operibus ruralibus non egeret, tamen quia primus homo lex posteritatis futurus erat; ideò legitimi etiam in Paradiso speciem suscepit laboris, vt nos ad operationem, & custodiam debiti officij, & hereditariæ successionis munus astringeret*. Bonus Præsul laborat, etiam vbi ratio laborandi (si hoc possibile) desideratur. Obstupuit illud nostri æui sydus fulgentissimum Sanctus Carolus Boromæus ad Præsulem, qui enixè petebat, quid ageret, vt otium, tempusque contereret, exhorruit ad petitionem Sanctus:

Etiam in horto laborandum.

Philo.

Sanctus Carolus miratur Præsulē posse ociari.

putauit monstrum, posse præsulem otiari. Laborandum vtique Christiano est semper, labor via ac limes ad beatitatem; arcta semita, sed terminus immensus: à laboribus, Cæli via cohonestatur. Ita Sapiens sacer, *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei: honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius*. Ceterùm gloria laboribus parta dulcior. Dauid id genus labores nominat, beatos, *Labores, quia manducabis, beatus est, & bene tibi erit*. à beatitate redundat in labores dulcedo, suauitas, & nomen ipsum felicitatis. finis optimus ad media suam probitatem diffundit. Hinc & lacrymæ, & luctus, & sitis, & fames, & pauperies, & persecutio ore diuino prædicantur beata: inuerso ordine à prole denominatur parens. Beatitudo dat nomen labori, à quo ipsa producitur: sic durus labor dicitur à sobole, quam parit, beatus.

Labor complementum gloriæ.

Sap. 10.

Gloria ex labore dulcior.

Cur lacrymæ sitis, fames, dicuntur, beata.

Descende Petre. Superuacaneus tibi labor in tabernaculorum structura. *In domo Dei mansiones multæ sunt*, Electis ab æterno paratæ: quas laboribus, cruce, tolerantia comparabunt. Tunsionibus, & pressuris

expo-

expoliũtur lapides, quibus ędificãdæ in Cęlis sũt ædes æternæ. Descẽde igitur labora, argue, hortare, increpa, prædica veritatem. Christus dulciùs sedebat in Cruce, quam tu in monte: & tamen in illa non modo pati, sed laborare desiderat. Hinc est quòd pedes, & manus impeditos clauis & ligno conqueritur, quia non laborans, non extendit ad sanandos infirmos manus: non currit pedibus ad peragrandas regiones ad miracula patranda, ad conferendas gratias; lamentatur itaque, quia tunc manibus, pedibusque incumbere humanæ saluti non poterat. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Acutè, & eleganter Tertullianus. *Quod vnum inter admissa facinora omnia Hæbreæ gentis in Christum lamentatur in cruce Dominus ipse, nimirum, adeò ingratum Iudæorum populũ, ac suæ misericordiæ inimicum, vt manus Domini ad faciendum semper liberas, expansas, effusas, liceat loqui, prodigas, à se amoueant, atque exterminent; ipsius beneficia respuentes, clamantes: crucifige:* Hoc malum molitur nesciens Petrus in homines; nimirum quod gratiarum tribunal, cuius præsul Christus, cuius Vicarius ipse,

Christus lamentatur de manuum, & pedum confixione. cur.

Tertull.

Psalm. 21.

amandetur in montem. Descendat potiùs cum præsule Vicarius, vt humana salus summi Pontificis sanguine cruentata, perfundatur etiam sudore Petri, vt in præsulatu, & in labore demonstret se esse Christi Vicarium.

Nesciebat quid diceret.

Felicitatis nostræ spes tota in Deo est.

ANNOTAT. XXIV.

186 LAtebrosum montis culmẽ, Petrus opportunum sibi locum putat, in quo timorem minuat Crucis, spem augeat gloriæ; ibi sperat se perpetuò incolumen cum Christo futurum. Hæc pectore versabat suo, quando spe lætus in lætissimas erumpit voces. *Domine, bonum est nos hic esse.* Acutè Origenes. *Quia audiuit quod oporteret Hierosolymam ire, sed adhuc timet pro Christo: post increpationem non audet dicere rursus, propitius esto tibi, sed idem occultè per alia signa insinuat; quod videbat multã* Orig.

quie-

quietem, & solitudinem, cogitauit conuenientem sibi stationem esse ex loci dispositione, quod significat dicens, Domine, bonum est nos hic esse. Ad eandem mentem Remigius. *Visa Domini maiestate* Petrus *adeo delectatus est, vt ibi vellet perpetuò manere.* Inter spem, ac timorem in monte nihilosecius quam olim in pelago fluctuat Petrus, ideo in lapide, & latebra suum putat perfugium reperisse.

Remigius. in catena hic.

187 Sed fallitur, dùm fuga, vel latibulo sibi consulit. Quando tempus, & hora venerit; tùnc non abdet se, sed in pericula, & in Sathanicas phalanges Christus irrumpet impauidus: sponte ibit ad mortem. Ita Apostolis, & turbis clarè contestatus est. *Ego vado*, frustra hæc effugia molitur Petrus. Dæmon cum toto inferorum satellitio Christum non inuasisset, ipso nolente; nec inuadentes Dæmones sustinere potuisset, Petrus, ipso non auxiliante. Egregiè Tertullianus. *Postulauit Sathanas, vt discerneret vos, velut frumentum. Verum ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, idest ne tantum Diabolo permitteretur, vt fides pericliteretur: quo ostenditur vtrumque apud Deum esse, & concussionem fidei, & protectionem:*

Tertullian.

nem:cum vtrumque ab eo petitur, concussio à Diabolo, & protectio à filio. Qui omnia mouet immotus, omnia quatit inconcussus, expectabit incolumitatem à Monte? Contemnere creatorem est, effugium sibi parare à creatura. Hinc adaucter Tertullianus. *Qui fugis Diabolum, depreciasti Christum.*

A creatura sperans auxilium, creatorem contemnit.

188 Nulla causa timoris Petro, vbi cum Christo est. De homine Christiano hæc Tertullianus. *Times hominem Christiane, quem timeri oportet ab Angelis, siquidem Angelos iudicaturus es? quem timeri oportet à Dæmonijs, si quidem & in Dæmones accepisti potestatem? quem timeri oportet ab vniuerso mundo, siquidem in te mundus iudicatur.* Homo in Christi militiã assertus, Angelis, Dæmoniis, ipsi Mundo timori esse poterit; siquidem his omnibus solum Christiano nomine euadit superior, iudicat Angelos, dominatur principibus, in Dæmones insurgit, in eo Mundus totus excutitur. A creatore igitur tantum timeat, qui superat creaturas; Accedit, quod Christianus, dum pugnat in hostes, in conspectu Ducis, qui omnem aufert formidinem, pugnat. Egregius miles Dauid Duce aspi-

Tertullian.

Christiano nil timendum.

Tertullian.

aſpiciente, gregarius deſpiciente. *Si conſiſtant aduerſum me Caſtra non timebit cor meum ſi exurgant aduerſum me prælium in hoc ego ſperabo.* Ità Paulus, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Sic nos omnes erimus. Deſcendit in aciem, & in arenam Chriſtus, quando pugnat Chriſtianus. Colligat itaque ſe, & ponat timorẽ, dùm eſt in conſpectu Principis; impetat in hoſtem, etiam ſi innumeras offendat inimicorum phalanges. Pſal. 26.

189 Neſcit quid dicat Petrus; dùm enim monti fidit à Chriſto diffidit. ſpes eſt quæ Deum noſtrum montem facit, *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Syon*, qui in circuitu ſuo nos ambiat: *Montes in circuitu eius.* Quid ſperas à monte? perpetuum, veluti murorum ambitu, præſidium, *Dominus in circuitu populi ſui*. Deus paries in tui tutelam erit. Egregiè Sanctus Auguſtinus. *Et ipſe murauit plebem ſuam munimento ſpirituali.* in murum ſe vertit Chriſtus, vt montium munimenta minime deſideret Chriſtianus.

Deo diffidit qui in alio fidit.

Pſal. 124.

Deus iuſtorum murus ad defenſionem.

Auguſt.

190 Sit itaque repoſita ſpes hominis in Deo; poſtulata noſtra, ſi verè ſperamus, ipſe audit, & exaudit. Vix ex ore petitio prodit, ſubito ad eam

Deus

Deus intendit aures, tamquàm ad hominem suauissimè canentem. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: inclina ad me aurem tuam.* Hác orationem Hebræi Regis ne quis, vt inurbanam, & minimè ad morem aulicorum accomodatam damnet, à Cælorum Rege Princeps terrenus supplici libello, & exorare aurem, & congressui tempus præscribere audet, quia sperat. *Auditam* ait, *fac mihi mane misericordiam tuam.* Rationem subdit. *Quia in te speraui.* Et spe confidentior factus fermè legem dat numini, & præscribit collocutioni suæ tempus. Rectè hic Lyranus. *Celeriter me exaudi, quia non in virtute humana, sed in te speraui.* Spei precium est matutina, & festinata misericordia. subdit idem Lyranus. *Quifidit in virtute humana, retardat auxilia diuina.* Remoræ sunt humanæ suppetiæ, quæ remorantur volans ad opem ferendam numen. Ruebat fermè de Cœlo ad purissimi Iosephi auxilium Deus, sed spes in pincerna posita festinantis Dei retardat gressus. Ita censuit Augustinus serm. 82. de tempore. *Additi sunt duo anni, quibus teneretur in carcere, tamquàm diceret, & Deus: Ego tibi osten-*

Psal.

Lyranus.

Fiducia in Deo accelerat misericordiam.

August. ser. 82. de temp.

ostendo, vt magis à mè, quàm ab hominibus debeas auxilium postulare.

191 Diffidentis absona est vox; cõtra fidentis suauis, & dulcis, auribus diuinis digna: natura ipsa comparatum est, vt vox clara, & consonans audientem faciat auritum, cùm illius aurem, æquè, ac ferrum magnes, rapiat. hinc illa ad superiorem vocẽ videtur extolli, ad inferiorem deprimi. Dauid in terra dulcem edebat cantum, quia fidebat numini. *In te Domine speraui, non confundar in æternum*. Orans, & sperans diuinas aures experitur ad sui miserias propẽsissimas. *Inclina ad me aurem tuam.* Inclinatam numinis aurem habet, qui in illo fidit: à Petro diffidente auertuntur diuinæ aures: ideò Lucas affirmat, *Nescit, quid responderet*, & Leo ait. *Non respondit Christus Petro.* Qui diffidit, nec audit, nec auditur: surda illi auris, absona vox. Perperam loquitur, dùm ait: *Domine bonũ est nos hic esse*: malè audit, dùm respondet, id quod nescit. Vt modus malè loquenti imponatur, præsto est nubes, quæ omnia contegit. Christus suas præcludit aures inepte loquenti, vt audiat Patrem optimè dicentem. *Hic est filius meus dile-*

Qui in Deo sperat dulcisonas edit voces.

Christus petro non respondet, quare.

dilectus, in quo mibi bonè complacui. Hinc Petrus admonetur, Patrem sibi in Christo complacere, non in Mõte. Aduerte Petre. *Hic*, non locum, sed personam signat, in qua spes tota mortalium reponenda, Ecclesia Christiana, vt fiduciam se nõ in alio, quàm in Christo habere demonstret preces suas hac dulci clausula consignat. Per *Christum Dominum nostrum*, per quem, & à quo bona omnia mortales consequi sperant.

192 Ceterum suaui Dauidis voci, nè dùm aures à Deo accomodatæ, sed manus porrecta ad auxilium. Perfugium sublius monte, semitam complanatam, firma protectionis suæ munimenta spondet Numen. Oratio Dauidica erat. *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me.* Tribulationibus circumseptus sperat, & fidit Deo. *Exultatio mea erue me à circundantibus me.* Ibi Didymus agnoscit Christi præcipuũ in tribulatos auxilium. Exultat Christus cùm fert opem miseris, & vexatis, sic ille ait. *Quemadmodum Iustitia, & sapientia, ità innocentis Iesù est exultatio: ait igitur, tamquàm exultatio nostra, eripe à persequentibus me, persequuntur enim me Dæmones exitiales,*

promissa facta sperantibus in Deũ.

Deus est exultatio tribulatorum.

Dydimus.

les,& flagitiosi homines;te enim liberã-te nil patiar detrimenti.

193 Hoc totum in Dauide impletum agnoſco, cuius menti vt Deus promiſerat lumen humano nobilius affulſit. *Intellectum tibi dabo*. Donũ Dei intellectus eſt, quo homo interiora, & abdita naturæ, vi ſuperiori luſtrat. Hoc in tribulatione expertus, intus legẽs ea, quæ cum humana prudẽtia neſciat, noſcit ipſe clariſſimè. Lumen hoc maximum eſt in tribulatione munimen, *Intellectum tibi dabo*. Ingẽs tribulationis bonũ, intellectus eſt fructus ſuauiſſimus, qui latet ſub rudi cortice. Adiecit prætea. *Inſtruã te in via hac, qua gradieris.* Cùm Dauide concinit Salomon, hoc eſt cum docto parente ſapientiſsima Soboles: *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas. & oſtendit illi Regnum Dei.* Sap. 10. Quid è voto magis iuſto accidere poteſt, quàm vt illi via ſalutis pateat. quà rectà pergere ad Cælum poſſit?

194 Tandem. *Firmabo ſuper te oculos meos*. Firmam, & fixam iuſto ſpondet opem ſuam Deus. Hic, vera firmitas ò Petre, non in monte tunc ſtant noſtra, quandò Dei verbo ſunt munita: de quo hæc Chriſtus. *Calũ,* Matth. 24.

&

& Terra transibunt, verba autem mea non transibunt, Petre, qui sperat in Deo, non monte, non tabernaculis indiget. In Cœlis habet paratam sibi sedem. Qui exuit terrenam formam, cœlestem induit. Qui amisit nomen humanum, lucratus est diuinum. Egregiè Sanctus Ambrosius. *Enos autem, qui assumpsit, & sperauit inuocare Deum. ideo creditur esse translatus: non videtur, itaque homo esse, nisi is, qui in Deum sperat, qui autem sperat in Deum non degere in terris, sed quasi translatus adhærere Deo manifesta viri interpretatione signatur*

Ambrof. de Isac. cap. 1.

Sperans in Deo veré vir.

195 Maior spe nostra Deus: sperare, cũ de Deo agitur, parum est; sublimiora dicam, *superspero*. Et tùnc potissimum, quando mihi humana desunt auxilia. Dona Dei longe superant vota nostra. Sanctus Propheta ait. *In verbum tuum supersperaui*. Vbi Augustinus. *Per hoc verbum intelligimus, quòd potens est Deus facere supra quàm petimus, aut intelligimus, propterea parum sit sperare, sed oportet supersperare; sané maior corde nostro Deus*. Saul sperabat asinas, accepit Regnum. Petrus sperat pisces, cæpit homines. Mendicus à Petro sperat eleemosynã, habuit salutem.

Deus Maior spe nostra: ideo in illo super sperandum. psal: 128. August.

Io-

Ioseph. sperat è vinculis libertatem, torque aureo donatus est. Corde nostro maior est Deus: In ipso super sperabo.

196. Dicam itaque cum Rege Hebræo. *Mihi autem adhærere Deo bonum est*. Montes aureos mihi promisit homo: non spero. Tantum Deo meo fido. Audio de Cælo Prophetam monentem. *Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus*. Fido in Iesù meo, cui in promptu est salus, cùm tanto labore nomen sibi comparauerit Saluatoris.

Nubes lucida obumbrauit eos.

De vmbris, & luce speciosæ Nubis De voce inde erumpente.

Expensio litteralis.

ANNOTAT. XXV.

197 CVm nesciat calamus vmbras, & lucem pulcherrimæ nubis, quas Euangelica manus

describpsit, distinguere atramẽto suo, naturæ ipsius prima delineamenta referrre vix audet.

Nubes quo pacto lucida, & obumbrans.

Mysteria, quæ lucem, quæ decora nubis continent, non meus, sed sanctorum, ac veterũ patrum exprimet penicillus: sic clarescet quo pacto vmbras vna nubes complectatur, & lumen. *Nubes lucida obumbrauit eos.*

Nubes taborea ex media aeris regione.

198 Nubem taboream ex his fuisse quæ in media aeris regione residẽt, ipsa Euangelica nomenclatura indicio est. Vapor ex humentibus locis euocatus ad superiora, frigore circumstante coactus, nomine suo, ac natura repudiatis, nomen naturamque nubis accepit. Siccitas fæcunditatẽ à nube auferẽs, nõ imbre, nõ pluuia tumidam, permisit flatibus, vt excitata ab ipsis, hàc illàcque expulsa, & illusa euanesceret in aera, sine sobole decedens, ventorum facta ludibrium.

Nubes sterilis à natura, fæcunda à gratia.

Verum diuina gratia parentem fæcũdissimam reddidit mysterijs suis, quam natura sterilem fecerat siccitate sua. Ceterùm iure cõtẽpsit parere imbrẽ, quæ tonitru, & vocem, perhibentia Christi diuinitati testimonium, parata erat eniti. *Et vox de nube dicens hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui;*

Digitized by Google

cui. Moles nubi, nec ingens, nec magna, sed exigua, & paruula, quanta tribus hominibus dumtaxat, nec admodum distantibus (colloquebatur enim inuicem) sufficeret. Figura, quæ & formabat, & finiebat nubẽ, non columnæ, sed globi similitudinem expresserat, complexa rupem, domus non ductricis obibat munera. Perelegãter de ea Iuuencus poeta christianus.

Moles illius trium hominum tantum capax.

Tali dum loquitur cœlo perfulgida nubes,
Circumiecta oculis, vestibat lumine montem.

Iuuencus.

199 Lucidissimam non sol, qui præest diei, sed qui iustitiæ, fecerat, Christi nimirum vultus, sole ipso lucidiores speciosam nubem venustauerant splendore suo. Porrò quã ad verticem montis damnauerat natura, Angelica manus deduxit ad humum, quò ad Christi domini parata obsequium, eius sancta vestigia lamberet. Læta itaque illa solem, & cælũ oblita tegere, Imaginis diuinæ facta velum, cœlestem Adamum lucidis vmbris obruit. O nubem felicem! quæ tot munera peregit obsequio vno, Parenti summo, à quo omne patrium decus deriuat

A iustitiæ sole lumen habet suum.

Nubis plura munera obsequitur patri, Filio. Moy si, Eliæ, Apostolis, præcipuè Petro.

obsequuta est, cum ex ipsa vox per-sonat,qua diuina progenies toti terrarum orbi innotescere debuerat. Gestiebat nubes edere sonum, & proferre verbum, quod exprimere nulla vox posset. Aer ipse,qui deseruiens homini tot personauerat mendacia (omnis enim homo mendax) gaudebat numini famulans verbum veritatis proferre,quo posset omnē mendaciorum abolere infamiam. Christo domino deinde morem gerit,maiestatem sacræ visionis tegendo augens,& iubar temperās, vt videretur sol iustitiæ magis; sol enim obtectus nube, interdum formosior, quia hoc velamine mortalium oculis magis conspicuus. Angelis famulatur tertio, vt velatum nube aspicerēt numen,quod olī vt viderēt (Isaia teste) obtexerant alis suis. Cælites vestris parcite alis obnubēs hæc nubes velamenti vobis vicem gerit. Deseruit etiam Apostolis, cum Christi vultus radios, vmbris moderatur. Petro præcipuè cum præsto est;illud extruens tabernaculum illicò,quod non sine laboris, ac temporis iactura ipse moliri agrediebatur. Tandem seruit Eliæ, ac Moysi. Antequam visio euanesceret facta

Nubes gaudet proferre veritatem.& non mendacia.

Isai.6.

Isa.6.

facta tabernaculũ, post quã euanuit facta vehiculũ, & rheda quà ad loca pristina redirent. Miror prodigiosæ nubis cõstantiam; nullus flatus, nullus ventorum impetus remouere eã à cęptis officijs potuit. Perdurauit immota in Christi obsequio, affixa pedibus diuinis, ò miraculum! leuis natura ad omnem flatuum motum, ad omnem vẽtorum impetum, adcũctas turbinis iras, ceu columna marmorea subsistit. At meritò, quam diuina firmauerat gratia, nullus vnquã tentans procellarum spiritus potuit infirmare.

Nubes firma ad omnẽ ventorum impetum, vt Christo seruiat.

200 Sed age iam expressis naturæ delineamentis veterum patrum Sanctorumque penicillus accedat, qui & vmbras, & colores adijciat, vt cõpleta & partibus omnibus absoluta imagine, nubes, sacra mysteriorumque grauida compareat, eamque spectãs lector aduertat, quo pacto nubes eadem, & vmbras rapresentet, & lucem, vt præclarè Ambrosius. *Cognosce nubem istam non fumigantium esse montium nebuloso humore concretam, & coacti aeris caligine piceã, quæ Cælum tenebrarum horrore subtexit, sed lucidam nubem, quæ non pluuialibus aquis, & humentis alluuione im-*

Nubes Sacra & mysteriorum grauida

Ambros. Luc.

ne imbris immadidet, sed de qua mentes hominum voce Dei omnipotentis emissa fidei ros rigauit.

Hieronym.

Hieronymus penicillo eruditè ita depinxit taboream hanc nubem, vt tabernacula, quæ designauerat Petrus ipsa exhiberet ocyus], ita Petro famulata est, qui *carnale ex frondibus tentorium quæsierat, aut tabernaculū*. Hieronymus S. Lucā pictorē egreggium, imitatus qui calamo suo de Nube loquitur, ceu de adornato Christo Moysi, & Eliæ tabernaculo. *Christus* ait. *Ingressus in nubem* veluti in paratum sibi tentorium, vbi actione magnę illius methamorphosis peracta, maiestatem vultus, candorem vestium, corporis luminosi iubar, poneret absconsus: vt ex infularum occultatione cresceret mirabilis spectaculi decus. Drogo Episcopus Ostiensis luce miscens vmbras, Christi familiares definiuit, & à ceteris vulgaris notæ seruulis seiūxit. *Sicut enim*, ait ille *amicis, & domesticis sacramenti sui nubes erat perlucida, quæ nobis iacentibus, & proiectis à facie oculorum tuorum valdè obscura.* Ambrosius eleganter his vmbris imaginem exprimit, quà Cælorum, terrarumque Orbis clariorem formosio-

Nubes Dei tabernaculū.

Drogo.

Luce, & vmbris distingue domesticos à ceteris seruis,

Ambros.

mosioremque filij Dei excepta non aspexit,non aspiciet vnquam. *Diuini spiritus* ait *est obumbratio ista, quæ non caligat affectibus hominum, sed reuelat occulta, quæ etiam alio comperta est loco dicente Angelo. Virtus altissimi obumbrabit tibi*. Audax sanè sed in audacia sua felix Beati Thomæ à Villanoua calàmus qui expressit in nube Spiritus sācti symbolum. *Vox quidem ad Patrem, nubes ad Spiritum Sanctum refertur, vt tota Trinitas Christo homini testimonium perhibuisse noscatur*. Origenem, Nubem lucidam & vmbratam, legem diuinam dicit; cum eademquæ illuminat, vmbra suæ manus protegit. Emissenus intelligentiam scripturarum putat claram doctis, obscuram & caligantem indoctis. D.Thomas Angelicus doctor Transfiguratione agnoscit geminam; à gratia vnam, à gloria alteram,hæc à claritate nubis,illa ab eius vmbris designata; & merito cum prima inseperabilis à fide quæ obscura,secunda cum lumine gloriæ cōiūcta sit. Sic vna nubes variata vmbris,& luce,gratiam, & gloriam indicat.

Eadem adūbrat Beatam Virginem.

Eadem Spiritus Sancti symbolum.

Eadem significat legem, & scripturā.

Origenes Emissenus.

Eadem significat geminā transfigurationem à gratia,& à gloria.

Verum longè nobilior à voce quam à luce, vel ab vmbris, nu- bis

Nobilitas nubis ab erumpente voce.

bis pulchritudo innotuit dum ad filij Dei diuinitatem contextandam eligitur. Taborea itaque nubes cōtēnēs ima ad sublimia tēdens, ad Cœlos elata, inde voce grandi, quæ tonitru sonitum exprimeret, Sic loquuta est. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Humili fugit ab humo, aspernata tellurem, in qua vana inundauerant hominum mendacia, appropinquat Cælis; vt mortales vocem veram, quam de terris nequibat excipere, excerperent è Cælo, ita Theologorum summitas Petrus fassus est. *Vox de Cælo facta, cum essemus cum illo in monte sancto.* Sed quis è taborea hac rupe; quæ à Petro sancta nuncupata est; tanto cum apparatu has protulit voces? Nemo poterat à sanctificato monte talem proferre orationem, qui non Deus, non Pater foret. Hanc admirans Sāctus Martyr Cyprianus de ea hoc monumentum reliquit. *Huc vsque domine sancte pater non audiuimus te loquentem, vt personaliter tibi assignaretur loquutio qua proferens hanc vocem à Paternitate tua delatam: nemo est, qui ambigat Non est, qui hoc verbū sibi quis auaeat arrogare.* Verum non ego hæ tereæ voci

Pet. ep. 2.

Cyprian.

Vox à Patre prolata, & quomodo.

voci tantum tribuo, vt eam affirmē ab æterno Patre editam, indiuisa sunt opera, quæ ad extra (vt aiunt Theologi) prodeunt, A voluntate, quæ & patri, & filio, & Spiritui Santo communis est, efficiuntur. Angelus itaque formauit ex aere vocem, quæ Patrem representaret. *Hic est filius meus dilectus*. Sileat Creatura cum de verbi Dei generatione sermo est. *Generationem eius, quis enarrabit?* Ille loquatur, testimonium ille perhibeat, qui in æternitate semper loquens vnum tantummodo verbum dicit, in quo & per quod sūt, & fuere omnia. Quod Cæli, & terræ non possunt, vna Patris generatio laudat opera tua Deus, & potentiam tuam pronunciat. Vates Regius tempora præterita, & præsentia vnà miscet, vt æternam generationem valeat quoquo pacto significare. *Ego hodie genui te*. Ceterum ex hac nube dulcedo stillat. Rupes taborea fluit lac, & mel. Mellitissima sunt verba, quæ Pares optimus de suo filio profert. Latices qui Manuelem annunciant mella dulcissima, lac purissimū secum ferunt Id Cyprianus egreggiè. *Filius, & dilectus ipso Deo dictante, nostris sensibus imprimitur;*

Rupes taborea stillant dulcedinem.

Verba á nube prolata mellea.

vt com-

vt communio nominum nos associet collegio munerum, vt tanta dulcedinis nomina nostrum emolliant animum, accēdant deuotionis affectum. Ferrea sanè sunt viscera, quæ dulcissimæ voces non emolliunt, effunditur vsque ad ipsos hominis sensus spiritalis dulcedo. Pater optimus puerum sanctissimum fermè commendat mortalibus, vt illi morem gerentes, seruiant toto corde, totisque complectatur visceribus, quà illi filius, quà dilectus, quà benè sibi in illo complacet Pater. Quam magnus hic Parentis amor in filium! Perpetrata à nobis scelera filij cruore purpurata odisse nō potest Pater, sacra facta sunt piacula diuino sanguine expiata; quæ odium, & pœnā ciebant, prouocant ad amorem. Integra scelera quæ lacessebāt irā, hoc sanguine cōtrita accersunt amorem. Fracta gradus sūt ad Cælū, quæ solida ad inferos præcipitiū. Felix Adæ flagitium Ecclesia tota personat, hoc solo filij venustatū nomine. Peccatū si conteras illius euanuit turpitudo; vicē eius, meritū sustinet. Scelera nostra cum Christus sua fecit, dulcescere cæperunt Patri, quia amarescere cæperunt nobis, qui enim pro

Ingēs amor Patris in Christum.

Peccata sanguine diuino rubicata non displicent patri quia defeata & non amplius peccat.

ipsis

ipsis passus Filius est, & dilectus in quo pater sibi benè complacet. Sed Nubes orationem enixa, munere defuncta suo euanuit, & cum illa tota visio, & meus vnà calamus.

Ecce Nubes lucida obumbrauit eos.

Christus, quos obumbrat, illuminat, quos deijcit, extollit.

ANNOTAT. XXVI.

101 MOns Taborinus, Scena à principio læta, cùm duo in illa inducantur, nobilissima veteris æui columina, infulis suis adornata, Moses, & Elias. *Ille* (vt ait Origenes.) *Cum tabulis, quæ scriptam legem habent: hic cum curru magno.* Exitus tamen apparet tristis, dùm actio in duram Cathastrophem terminet, Proscenium totum nube tegitur, Apostoli in faciem cadunt: omnes afficiuntur timore. Verùm non minus lætam in Moyse, & Elia, quàm in Apostolis cerno. Nubes

hæc

hæc non obumbrat, non tenebris offundit, ſed cuncta reuelat, & detegit. Si cadunt Apoſtoli, Anthæi more, à tellure inualeſcunt: Caſus robuſtiores reddit. Luculenter Ambroſius hic, *Diuini Spiritus eſt obumbratio iſta, quæ non caligat affectibus hominum, ſed reuelat occultum*. Quare non atra nubes, ſed lucida hæc dicitur. *Nubes lucida obumbrauit eos*. Moris diuini eſt obrumbrando illuminare. Vmbra à Deo immiſſa, magnũ lumen, imò magnum numen nuntiat. Ad Solis iuſtitiæ ortum Deus præmiſit vmbram, *Spiritus Sanctus obumbrabit tibi: Ideoque quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur, Filius Dei*:

Ambroſ.

202 Protegit hæc nubes Apoſtolorum oculos, dùm Solem tegit. Cæcus Saulus dum cadit, Paulus illuminatus ſurgit. Defectu luminis non cadit, qui à caſu auſpicatur ſalutem. Quandò vox diuina impellit ad humum, tunc humilitas parit ſalutem. Origenes acutè. *Hanc autem gloriam diſcipuli ſufferre nequeuntes, procubuerunt humilitate ſub potenti dextera Dei*. Quando Deus in aliquo eſt, timorem inferni, peccati horrorem, ſui cognitionem, animi demiſſionem indit: eleuat tunc, non depri-

Origenes.

Dei conſpectus humilitatem parit.

deprimit. Eleganter Hieronymus. *Timuerunt valde, quia humana fragilitas conspectum gloriæ ferre non sustinens, toto animo, & corpore contremiscens ad terram cadit.* Quotusquisque mortalium erit, qui animo, mente, corpore ad Dei conspectum non se prouoluat? Quò maior numinis cognitio, eò profundior erit animi demissio. Eleganter Basil. *Quantò enim ad Dei notitiam accedere videbitur, tantò maiorem sentiet infirmitatem. Talis erat Abraham, Talis Moyses. Quando enim tunc viderunt, quantum fas est homini, tunc maximè se humiles, tenuesque putarunt.* Moyses, quamuis Hebræorum disertissimus, tunc se confitetur elinguem, quando Dei loquentis vocem audit, ita Origenes. *Donec Moyses esset in Ægipto, vt erudiretur omni Sapientia AEgyptiorũ, non erat gracili voce, non tardus lingua; erat enim quantum ad AEgyptios sonoræ vocis, & eloquentiæ incomparabilis; vbi enim cæpit audire vocem Dei, & eloquia diuina suscipere. tunc sensit exilem, & gracilem vocem suam: tardam, & impeditam suam sensit linguam: tunc se pronunciat mutum, cum cæpit agnoscere verum illud verbum, quod erat in principio apud Deum.* Numquam

Hieronym.

Basil. Hom. 3. in Exod.

Origenes.

vox clarior, lingua expeditior, eloquium promptius Moysi fuit, quàm cum ex Dei verbo linguam impeditam, & tardam sensit. Non potest homo malè loqui, cum se non benè loqui cognoscit. Meritò Apostoli, dum diuinam audiunt vocem, loqui timent: cadunt, vt eorum ora clauderentur humo. Cum de Cælo vox venit, tunc caduut in faciem, tellurē osculantes.

Dei conspectus cognitionem nobis ingerit.

203 Infundit homini claram quamdam sui cognitionem præsens numen. Qui cognoscit summum bonum, festinat, vt in se emendet, quod videt summum malum. Speculum consulens mulier, vultus incognitas ante maculas delere satagit: Dauid, qui olim in cathedra Sapientissimus sederat, Dei expendens Sapientiam se iumentum fatetur. Id obseruat magnus ille Origenes. *Dauid se intuens, & ad diuinam Sapientiam se librans, ait, vt iumentum factus sum apud te.* Quid in hanc rem mortales laudo testes? ipsamet Cælorum culmina id contestantur. Vbi enim Deo assistunt, præ humilitate vultum alis suis contegunt, imitati fermè Timantem, qui affectus, quos penicillo exprimere diffidebat, con-

Origenes in Psalm. 72.

Dauid Ps. 72.

tege-

tegebat velo: Obnubunt Seraphim alis vultus suos, cùm Numini ea, quà debent reuerentia, assistere nequeunt. Pulchrè Chrysostomus: *Cum plurimam habeant erga conditorem reuerentiam, hanc vndequaque conantur præstare: Deinde quando non assequuntur, quod expetunt, quod deest affectui, hoc velo obtegunt; quam ob causam faciem, ac pedes tegere dicuntur.* Moyses, & Elias cum Deum præsentem ex nouo aliquo sibi fauore persentiunt, pallio tegunt vultum: nil mirum si Apostoli præ reuerentia numinis, toto vultu in terram procubuere. *Ciciderunt in faciem suam.* Felix casus, dum ex Dei cognitione: docet suum cultum numen, quandò deprimit. Clamat Dauid. *Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*

Chrysosto. hom. 1. de verbis Isaiæ

Seraphim cur faciem obtegant.

204 Id frequentissimè Prophetis accidit: cadunt, vt ad colendum numen extollantur, & lumine subliniori, futura prædicant. Egreggiè Gregorius in illa Ezechielis verba. *Hæc similitudo gloriæ Domini. Vidi, & cecidi in faciem meam. Vbi notandus, inquit, est ordo loquutionis, & operis, quia prius similitudo gloriæ Domini apparet, vt deijciat; postmodum alle-*

Gregorios. Ezech. 2.

qui-

quitur, vt eleuet: nisi enim aliquie de aeternitate in mente videremus, numquam in facie nostra pœnitendo caderemus: sed iacentes vox Domini consolatur nos, & facit, vt in opere surgamus: ideò subdit. Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum. Id bene nostræ Euangelicæ Historiæ congruit: cadunt Apostoli audientes vocem, maiestatem numinis adorantes, vt dirigantur ad nobiliorem capessendam viam. Cadunt considerantes Dei maiestatem, vt humus eluens maculas, dignos Cælis eos reddat. Cadunt noxij, vt resurgant innoxij. Cadunt, religiosorum more, vt ad peccatorum petendam veniam procumbant.

Per pœnitẽtiam qui cadit, resurgit melius.

205 Hoc enim, vt proprium sibi vendicat, vel considerata, vel visa Numinis Maiestas, peccatorum horrorem, sui odium, Dei amorem: Dolent dum considerant tantam pulchritudinem, & bonitatem læsã. Quò allusit Hieremias ex Hieronymi sensu, *Postquam cognoui, vel ostendisti mihi*. (Vt habet nostra lectio) *Percussi femur meum*. Flentis, & dolentis est, femur manu percutere, dum meminit se peccasse. Cuius recordatio quasi morsu quodam, do-

Hieronym. Homo à peccatis. visa Dei Maiestate, respicit.

lorem

lorem efficit. Pulchrè Gregorius in verba illa Ezechielis. *Abij amarus in indignatione spiritus mei. Mentem* ait, *quam Spiritus Sanctus replet in amaritudinem temporalium, dubitatione æternorum commouet. Quantò enim plus perspicimus in cognitione, tantò ampliùs indignamur de peruerso opere: atque cum scientia dolor crescit; quia quantò magis ætèrna cognoscimus, tantò magis esse in exilij miseria dolemus. Si æterna cupimus, nos ipsos despicimus egisse, quod nos potuit, ab æternis separare.*

Gregorius Hom. 10. in Exech. 31.

206 Accèdit. quòd ex visa æterni numinis Maiestate cor adeò ad diuina exultat, vt ipsa viscera à loco suo videantur ingenti miraculo submoueri. Eleganter hùc flectit Gregorius Regis Vsitani verba. *Super hoc expauit cor meum, & motum est de loco suo. In admirationis* inquit, *& excessu se transtulit, & quia nouæ spei spiritu mens afflata est, semetipsam, qualis in vetusta cognitione fuerat, reliquit. Benè autem dicitur. Motum est de loco suo; locus quippè humani cordis est delectatio vitæ præsentis, sed quum diuina aspiratione tangitur locus cordis nostri, fit amor aeternitatis. Consideratione igitur æternæ patriæ de loco suo animus*

Dei Maiestate visa hominis cor à suo loco exilit.

Iob. 37. Gregorius.

mouetur, quia derclictis infimis, in supernis cogitationibus ponitur. Egregiè ad mores loquitur, Sanctus Gregorius. Verùm quod Iob dixerat; Sanctus Philippus, fulgentissimum seculi nostri astrum, Congregationis Oratorij *Pater*, in se ipso expertus est; illius. n. cor cupiditate ęternorū inflammatum, impatiens costarum sępimento definiri, rumpens illas in laxiorem locum euasit. Qui Spiritus Sancti flamma ardet, contemnit confinia naturæ, & concedit in nouum, quem Spiritus Sancti gratia ministrat, locum. Spernit naturæ limites cor, quod secum fert numinis immensitatem. Ceterùm Apostoli cadunt immoti: quia cor, à quo omnis motus, patiebatur diuina. Felices nube, qua illuminantur: feliciores casu, quo mersi terrę emergunt ad Cælos.

S. Philippus Cong. Orat. Pater.

207 Tandem Discipuli à montis fastigio, tamquam è Scholis, eruditissimi redeunt: humilitatem, & numinis cultum edocti à lege, à Prophetis, ab Euangelio. Par erat, vt ex eruditissimis Præceptoribus doctissimi redirent. *Qui in solem venit*, ait Seneca, *colorabitur: qui in unguentariam tabernam, odo-*

A Christo bona omnia reportamus. Seneca.

odorem secum loci ferunt, & qui apud Deũ fuerit, traxerit aliquid necesse est. Quo etiam Sponsa ex Bernardi interpretatione collimauit: *Nolite considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol. Illius nimirum consideratione splendoris, dùm appropriat illi, ex eo me obscuram deprehendo, nigram inuenio, fœdam dispicio; cæterùm alijs formosa sum: quid me ipsam fuscam dicitis, solius solis pulchritudini subcumbẽtem?* A Spõsi forma reportauit Spõsa humilitatis decorem, famæ odorem. Spirat subindè hæc humilitas sublimia in ore Petri, dùm gloriatur fuisse se magnitudinis diuinæ speculatorem. *Cum esset cum illo in Monte Sancto.* Hinc Magister totius orbis euadens Petrus, vt lucerna coruscat in caliginoso loco. Leo Magnus Põtifex ait, *Petrus reuelationibus incitatus, mundana spernens, & terrena fastidiens in æternorum desiderium quodam mentis rapiebatur excessu.* Felix nè dùm Petro, sed Orbi vniuerso lucida hæc nubes, obumbrando lucernam, Mundi inflammat. Felicior Petro, quàm Bruto casus, qui non Principem Orbis futurum, sed Ecclesiæ Pastorem præsagit, dùm non terram matrem in hoc monte,

Cant. 1. Bernard. ser. 28. in cant.

2. Petri p.

Leo Papa.

sed Deum agnoscit futuri seculi Patrem.

Ecce Nubes lucida obumbrauit eos.

Beatitudo, ad quam omnium vota tendunt, inexplicabilis.

ANNOTAT. XXVII.

208 DVm exultat Petrus, & prę gaudio ingeminat verba, *Domine, bonum est nos hic esse.* Dùm cæteri attoniti curiosè inspiciunt Christi vultum Sole lucidiorem, vestimenta niue candidiora: Interea inspicientium lumina, vix delibantia suauissimum epulum, suis vmbris obumbrat nubes importuna. An Numen iubet, vt homines, speculantes Christi gloriam, medijs in vndis sitim, apposita mensa esuriem patiantur, diram Tantali sustinentes pœnam? An quia vix beatitudinem delibare datur hic, procœnium satians reseruatur in Cælis? An auditis non ad rem, de qua agebatur, sermonibus, veluti clausa scena, personati,

Cur nubes obumbrat in monte.

nati,& soccos, & laruam indignati abijciunt. ad vultum, & ad staturam suam vnusquisque redit. Quoquo pacto res se habeat, id censeo de beatitate exploratissimum, explorari non posse, & hoc nos fortassis nusuis vmbris monuit.

209 Vgo Carensis ex dictis Petri, *Domine, bonum est nos hic esse*, colligit gloriam, qua fruuntur Sancti in Cælis, omninò inexplicabilem, cum desiderentur similitudines, quibus illa nobis aliquo pacto innotescat. *Si stilla*, ait Vgo, *compellebat ita dicere Petrum, quid erit de abyssali plenitudine?* Concinit S. Ephræm, *Abyssus suæ diuinitatis minimè ostenditur, sed quantum poterat pupilla oculorũ pati*. Guttula ad abyssum, visio montis composita ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in Cælis.

Gloria cælestis inexplicabilis.

Vgo Carensis.

Ephræm de transfig.

210 Augustini mens, quamuis Sole lucidior, futuram tamen beatitudinem expendens, adeò fit anceps, & obscura, vt ignoret, quo pacto de ea loqui debeat. *Talis*, ait, *erit delectatio pulchritudinis, vt tibi semper præsens sit, & numquam satieris, imò semper satieris, & numquam satieris; si enim dixero, quia satiaberis, fastidium timeo, ibi nec fastidium erit, nec fames*,

Augustin.

quid dicam nescio, sed Deus habet, quod exhibeat non inuenientibus quomodò dicant, & credentibus quomodo accipiant.

Augustin ad cathecum. cap. 11.

Augustinus etiam in his, quæ ignorat, doctissimum se prodit. Beatitudo tanto lumine corulcat, vt tenebris magis pateat mortalibus, quàm lumine, negatione clariùs quam affirmatione illucescat. Redeat Augustinus. *Facilius dicere possumus in æterna illa vita, quid ibi non sit, quàm quid ibi sit: non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non fames, non sitis. Ecce diximus quid ibi non sit. Quid autem ibi sit vultis nosse? Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Cum de gloria, quid non sit, quærimus, vestigatur aliquid, quando quid sit intelligere audemus, nihil. Acutè Gregorius Nyssenus, quod Augustinus negatione tentauit explicare, ipse pûcto, quòd expers dimensionis est, conatur ostendere. *Omnis oratio,* ait, *quæ significat alicuius mentis conceptiones habet vim cuiusdam puncti indiuidui, non valens explicare, id quod vult mentis explicatio: omnis autem interpretans oratio videtur esse breuis punctus, vt quæ non possit simul extendi cum latitudine cogitationis, & conceptionis.*

Gregorius Nyssenus. Mundana gaudia punctus in comparatione gloriæ.

Vt

Vt ingens locus habitationis Dei, punctulo explicari nequit: sic ostendit Nyssenus gloriam cœlestem ore humano fore inexplicabilē: egregiè ille, *Quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit,* eleganter nubis contexit vmbra.

211 Sileant in valle lacrymarum mortales, nec de tanta felicitate loqui audeant: loquantur, qui positis mortalitatis exuuijs, induère diuinas. Rectè Augustinus de statu, quo Sancti fruuntur, *Perit*, inquit, *tunc quodammodo mens humana, & fit diuina; quando inebriatur ab vbertate Domus Dei.* Si vnam saltem diem non per ænigmata, & per ambages, sed de facie Deus videretur, ex dulcissima beatitatis memoria viueret homo felix in plura secula. Ita Augustinus. *Tanta est iucunditas huius æternæ gloriæ, vt etiam si non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni vitæ huius pleni delicijs, circumfluentium temporalium bona, meritò, rectèque contemnerentur; non enim prauo aut falso affectu dictum est: melior est dies vna in atrijs tuis super millia.*

Augustinus. Psalm.

Idem.

212 Sed quid metiri tentamus Dei

gloriam? omnia, quæ ibi reperiuntur, ſine menſura ſunt. Nihil in domo illa niſi vbertas, & copia gaudiorum; nulla ibi portio: diuiſio nulla. Diuitiarum theſauri, frumenti horrea, vinorum cellæ in cælis; Beati affluunt omnibus. Id Sanctus Dauid ſimilitudine torrentis explicat. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos* Hieronymus huc flectit verba Salomonis. *Replebuntur horrea tua ſaturitate & vino torcularia tua redundabunt. Si theſauros, inquit, in Cælo poſſunt habere iuſti quia veras ibi diuitias inueniunt; poſſumus vtique, & horrea, & torcularia, quia non eſurient, & ſitient amplius, & implebuntur horrea tua ſaturitate, quia ſatiabuntur, dùm manifeſtabitur gloria tua. Redundabunt torcularia tua vino, quia interna ſuauitas æternorum corda cunctorum fidelium in laude ſui conditoris accendit: vt edatis, & bibatis ſuper Regnum meum in menſa mea.*

Pſalm.35. Auguſtinus. Dies vna æternæ vitæ præſtat millibus huius ſeculi.

213 Si qua tamen nobis ſuppetit beatitatis ſimilitudo, non à conſolationibus, quas hic experiuntur mortales petenda erit, ſed à gaudijs, quæ in tribulationibus ſentiunt iuſti. Sic Paulus, *Superabundo in tribulationibus ex gaudio*; & alibi. *Ita con-*

2.Cor.7.

consolatur nos in omni tribulatione uestra, vt possimus consolari eos, qui in omni pressura sunt. Rationem subdens. *Quoniam*, ait, *sicut abundant passiones Chiisti in nobis, ita per Christum abūdat cōsolatio nostra.* Papæ! Paulus factus oīum peripsema, incarcere vinctus, verberibus cōtusus, in tātas effūditur consolationes, vt analecta, & micæ, quæ ex illius mēsa cadebāt, totius Orbis infirmos, pauperes, vinctos, tribulationibus, & flagellis cumulatos satiare, & consolationibus replere possint. Non definiuntur humano limite æterna bona; ad illa excipienda non pertinget mens nostra, nisi pereat, & fiat diuina. D. Thomas egregiè ait. *Licèt in aliquibus posiit homo consolari, tamen solus Deus est, qui consolatur in omnibus malis*: Paulus, quia amat Christum, viuit in Christo, eò magis Beati, dum fruuntur Deo, in Deo viuunt. Ab illo est bonorum omnium vbertas: ab ipso inebriatur homo, & fit fermè diuinus. Gaudia itaque Beatorum ostendere, est ipsam Dei immensitatem definire.

2.Cor. p. Iustorum letitia in tribulationibus.

D. Thom. in 2. cor. p. ad illa verba.

214 Paulò maiora canam. Paulus in tribulationum medio positus, omnium mortalium plagis posse se mederi,

deri, omnium posse consolari animos affirmat. De damnatis sermo nullus est. Non audet hoc dicere, quia in hac vita: auderet si in alia, si vna guttula ex illo voluptatis torrente posset damnatos aspergere. Diues à paupere guttulam petit, quia sciebat, quod si digito eam posset tangere, ardentes inferorũ pænæ sibi dulcescerent: id tamen denegatur diuiti, quippe ad æternum ignem damnato. Non gaudij guttula in Paradiso, sed fluuius ingenti impetu fluens, & gaudium immensum in magna Vrbe erit. De his Dauid ex Hieronymi sensu. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei. Terra visitatur à Deo quotidie, inebriatur, cunctisque est plena delicijs. De hac fluuius egredietur Dei, de quo scriptum est, Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.*

Vna beatitatis stilla inferorum pœnas valet dulcorare.

Hieronym. in Psal. 45.

215 Ad illa tabernacula Petre aspira, de quibus Regius Psaltes ait. *Quã dilecta tabernacula tua, Dñe virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Hæc tabernacula construe. Si mortales per has rimas beatitatẽ lustrãtes, illam depereunt, quid erit cum reuelata facie gloriã Domini videbunt? Sanctus Pontifex

Felicitas æterna desideranda.

fex Gregorius, loquens de obliquis templi fenestris, hæc ait. *In fenestris obliquis pars illa per quam intrat lumē, angusta est, sed pars interior quæ suscipit lumen, lata, quia mentes contemplantium, quamuis aliquid tenuiter de vero lumine videant, in semetipsis tamen magna amplitudine dilatantur. Exiguum valde est, quod de æternitate contemplamur, sed ex ipso exiguo laxatur sinus mentium in augmentum feruoris, & inde apud se ampla sunt, vnde ad se veritatis lumen, quasi per angustias admittunt.* Per angustias admissū lumē, magna reuelat quādo intrabimus in Domini gaudiū, quid erit? Gregorius.

216 Paradisi igitur gloria, etiam obliquè vt ait Gregorius, considerata hominem in sui amorem, & desiderium rapit, quid, quando reuelata facie videbimus Deum sicuti est? Sanctus Augustinus ait. *O Ciuitas Sancta, ò Ciuitas speciosa, de longinquo te saluto, ad te clamo, te requiro: gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei; vbi desiderium omne transit in gaudiū.*

Paradisi gloria, etiam obliquè considerata, desiderabilis. August. Meditat.

217 Meritò nubes lucida tegit arcana cælestia. Nos ibi figamus tabernacula, ad illa bonis operibus euolemus, Vt nostra ibi fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia.

Et

Et vox de nube dicens, hic est Filius meus dilectus &c.

Ad Patris vocem terror incutitur: Excutitur ad filii tactum.

ANNOTAT. XXVIII.

Apostoli cur territi ad Patris vocem.

218 Ex nube, tamquam à summa sede, Cælestis parētis vox audita, adeò discipulos terruit, vt eos humi prosterneret, fere exanimes. Verum incussus à Patre timor discutitur à filio, qui discipulos blandè alloquens, & suauiter tangens mirificè recreat. *Tetigit eos, dicens. nolite timere.* Inde pulchrum oritur dubium: cur timor Patris voce incussus; suaui filij tactione pellatur? An Verbum, quos terruit in sinu Patris, hos in sinu Matris permulcet, & allicit: ibi aculeum gestans; hic tantummodo mella? sic Bernardus. *Heus tu, Adam, noli fugere, quia nobiscum Deus; ad nos veniens, solum mel attulit, non aculeum*

Bernard. ser. 3. de adu.

idest

idest misericordiam, & non iudicium; Deus ultionum, qui olim liberè agebat, nunc carne præpeditus nescit nocere. Suadentibus discipulis, vt Ciuitatem, quæ suscipere eum noluit, præciperet igne consumi, respondit, filium hominis venisse non vt iudicaret, sed vt saluaret Mundum. Quomodò discipuli à verbo vitæ timent, quod caro factum suis contrectant manibus? A peccato timor, nè dùm est, sed pendet; ad auxiliarem Agni manum, qui peccata mundi tollit, euanescit vtrumque. Ponat metum homo in conspectu agni; sumat spem in conspectu redemptoris, quia, vt ait Paulus. *Apparuit humanitas, & benignitas Saluatoris nostri*. Id suadet Bernardus Adamo, in Christi aduentu. *Adam noli fugere, noli timere, non venit cum armis: non puniendum, sed saluandum requirit, nè fortè dicas, nunc vocem tuam audiui, & abscondi me, ecce infans est sine voce; apparuerat antè potentia in rerum creatione; apparebit Sapientia in earum gubernatione; Sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate*.

Verbi mansuetudo, quãdo caro factum. Luc. 9.

Tit. 3. Bernard. ser. de aduentu Domini.

219 Hinc gens Hebræa verberibus erudiebatur à Moyse; quia Verbum non dum caro factum: Discipuli

Hebræi verberibus eruditi: Christiani verbis & miraculis

puli blandè edocentur à Christo, & quasi manu diuina ducuntur ad Cælum, quia hominem iam assumpserat: Id eleganter Sanctus Basilius, præsul Seleucienſis. *Moyses Hebræorum Doctor, Dei cognitionem, & disciplinam Iudaeorum filiis traditurus, discipulorum animos Egiptiorum supplicijs ante percellit. Verùm Dominus noster Iesus Christus restitutionem Apostolorum choro promulgans, non quibus alios puniant, iis ipsos docet, sed miraculorum humanitatis suæ fontem patefaciens, & commune valetudinarium aperiens. Miraculorum vi, quasi manu duxit animos ad Dei cognitionem.* Qui verbis, & verberibus erudiuntur, timeant: qui misericordia, & miraculis, veluti manu ad sublimia ducūtur, ponāt timorem, Spem sumant in Christi ualetudinario infirmi.

Basil. Seleu.

220 Vigebat prisco illo, & ante Christi aduentum æuo, iustitia: Deus dicebatur exercituum, Zelotes, animaduertēs peccata patrum in filios. Modò humanitas, & benignitas Saluatoris apparuit, Christus amouet, quæ ad iustitiam faciunt, admouet, quæ ad benignitatem. Hinc voci tactū addidit, quia cū Christi manus Deo nos vniat, secū fert salutē. *Tetigis*

Tactus Christi semper salutaris.

Digitized by Google

git eos dicēs: nolite timere. Deo adiūctis, nullus erit timor. Affirmat Dauid. *Non timebo mala, quoniam tu mecū es.* Nā ab ipso, qui timeāt discipuli? experti dulcissimum Christi attactum. *Tetigit eos dicēs, nolite timere.* Psal.
221 Vox anceps est ad salutē, & ad interitū; eadē, qua accersuntur iusti ad gloriā, damnantur praui ad pœnam; voci addita tactio est; quia nemo tangitur à Christo, cui ille non vniatur. Quem tetigit salutaris illa manus, cui non ex templo fuit impertita salus? Quæ fluxum sanguinis patiebatur, nonnè ex tactu hausit salutem? Virtutem enim Iesus cum tangit, communicat. *Noui virtutem è me exisse.* Leprosus ad extensam Christi manum, mundatur illicó. *Extendens manum dixit, volo: mundare.* Id animaduertens turba cateruatim in illum irruebat, vt ex tactione referret salutē; quarè nè Iesus opprimeretur in nauiculā secessit Marcus ait. *Et dixit discipulis suis, vt nauicula deseruiret propter turbam ne comprimerent eum, multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent, quotquot habebant plagas.* Nil igitur mirum si ex tactu Christi, mortales omnem pellant timorem, & hau-
Luc. 8.
Marc. 1.
Marc. 3.

hauriant salutem.

Christi tactus solidat naturam humanam vacillantem.

222 Virtus tanta in sanctis illis manibus, vt leue quodcumque, & arundineum, repête ex illius tactione, firmum, ac solidum fieret. Id innuit Christus quando permisit, vt suum summè venerandum caput, arundine ab Hebræis percuteretur. Ambrosius ait. *Caput eius percussit arundo, vt soliditatē diuinitatis attactu nostra conditio nutare non possit.* Ita quos vox diuina, quasi validus turbo ad terram fere mortuos afflixit, attactu suo Christus eleuat, & vitæ reddidit. *Tetigit eos, dicens: nolite timere.*

Ambrosius Luc. 23.

Christi tactus, est iustificationis symbolum.

223 Tandem accipe notationis huius coronidem. In Patre incutiente timorem, in blando filij attactu; expressum agnosco iustificationis symbolum. Hæc à timore incipit, terminat in amorem: Timor foras mittitur, non quòd cum charitate pugnet cùm idem spiritus, qui timorem ingessit, & amorem indat: sed charitas timorem, quem intus reperit foras emittit, Ille charitati viam, aditum, ædem adornat, eamque præstolatur in ianuis: cùm omnia tuta, & sine discrimine sunt; abit ille, vt decentiorem locum amori relinquat. Timori

Quomodo charitas foras mitti timorem.

mori debemus,domus dispositionẽ, & ornatum,qui talis est, vt ædem illam ingredi non dedignetur numen,quam antea honestauit timor. Ita Salomon. *Inuocabunt, & non exaudiam: mane consurgent, & non inueniet me, eò quod timorẽ meũ nõ susceperunt.* Qui vult amorem, à timore incipiat. Beata triga quæ feliciter à timore salutem auspicata est! *Ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè.* En post timorem illico Deus, qui charitas est,accedit dicens, *Surgite,nolite timere,* Estote securi,expellite timorem, charitas cor intrauit; eadem Christi manus, que vnam induxit, eduxit alterum. Timebant prisco æuo Prophetæ, quia auxiliaris desiderabatur dextera. *Fiat manus tua,vt saluet me.* Illa manus expetebatur, quæ tangendo,pauorem omnem discutiens, charitatem tribueret. Acutè Gregorius expendens Prophetæ verba. *Et facta est super eum ibi manus Domini. Manus* ait,*vel brachium Domini,filius,dicitur, quia per ipsum facta sunt,de quo etiam psalmista ait. Fiat manus tua, vt saluet me. Manus quippe Dei; quæ per diuinitatem non est facta,sed genita,per humanitatem facta est, vt humani generis*

Ecclef. p.

Greg. hom. 2.in Ezech.

neris vulnera sanaret: ibi ergo Propheta incarnationem vnigeniti agnoscit, vbi super se manum Domini factam vidit. Propheta metu perterritus, vbi à lõge vidit, ac sensit tãgentem manum: metum posuit. Cur timeant Apostoli, quos tangens Iesus, voce sua ita permulcet. Qui sum à Patre genitus Deus, pro vobis factus sum caro, vt auxiliarem extendens manum, & salutem vobis, & vitam tribuerem. *Surgite itaque, & nolite timere.*

Ipsum audite.

Vocalissimus in passione Christus.

ANNOTAT. XXIX.

224 COlloquebantur adhuc Moyses, & Elias de Christi excessu, cum ecce clamat è Cælo Pater, & voce grandi intonat, *Ipsum audite*. Verum si semper virtutum specimen in filio, cur quando passioni appropinquat vox Patris, tũc potissimũ ab æthere sonat.

Christi passio voces edit sonoras.

Ipsum

Ipsum audite? Multas de hoc mysterio afferre possem rationes, subdam tamen vnam; quia nũquam tàm eloquens sermo diuinus, & tàm nobis proficuus Christus, quàm in Cruce patiens. Noscit id Pater, & nos ad audiendum Christum patientẽ suo impellit ore, *Ipsum audite*. Si Christus nullam habuisset, (vt habuit plurimas) concionem, vna solummodo passio pro omnibus foret. Hoc innuit Pater, qui non in prædicationis, sed in passionis exordio discipulos auritos fecit. Excessus, de quo Moyses, & Elias loquebantur, Christus patiens erat. Prædicationem suam ipse, & morte, & Cruce firmauit. Id eleganter Hilarius, *Ipsum audite: Idoneus ipse præceptorũ author est, qui Crucis voluntatem, obitũ corporis, facti confirmauit exemplo*. Christus idoneus præceptor à Cruce magis, quàm à prædicatione fuit. **Hilarius.**

225 Verum quomodo Christus in Cruce tàm eloquens, si numquam in illo tantum silentium, quàm vbi mors appetebat? In passione ouicula Iesus coram tondente muta. In illa vix septies, & breuissimè est loquutus, cùm aliàs, in monte, in pla-

nitie, in mari, iuxta fontes, in cœna, longiſſimos protraxerit ſermones. Itaque Chriſtus, tunc audiendus magis, cum videtur minus loqui, in paſſione præcipuè; non enim tunc os aperit, ſed ora; quot enim habet vulnera, tot ora reſerat ad declamãdũ. Decet anritũ eſſe in paſſione Chriſtianum; nil enim in Chriſto ſilet, dũm patitur. *Clamant claui, clamat vulnus*. ait Bernardus. *mundum reconcilians ſibi*. Vulnera efficacius amantis viſcera mortalibus demonſtrant, quàm ora. Mellitè idem Bernardus. *Patet arcanum cordis per foramina corporis, quid ni viſcera per vulnera pateant? in quo enim clariùs, quàm in vulneribus ſuis eluxiſſet, quod tu Domine ſuauis, & mitis, & multæ miſericordiæ*. Feſtinent itaque peccatores ad Chriſtum, & qui non audierunt prædicantem, audiant patientem. Experientur profectò miſericordem, qui non ore loquitur, ſed vulnere. Ad hunc ingentem clamorem ſileat Cainus, nec ore blaphemo dicat. *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear*. Parentem lædit, qui renuit audire filium: repudiat Deum habere Patrem, qui claudit aures à verbo fratris. Hæc om-

Chriſtus cũ tacet, tunc audiendus magis.

Chriſti vulnera diſertiſſima ſunt ora.
Bernardus.

Gen. 4.

omnia os gemmeum Bernardi. *Ideò liquet errare illum, qui dixit, maior est iniquitas mea, quàm vt veniā merear; nisi quia non erat ex membris Christi.* Non est ex corpore, qui non compatitur capiti: abscissa est pars, quæ à toto discordat. Membra tunc audiunt loquens in passione caput, quando illi compatiuntur. Benè sibi consulit peccator, cùm Christi cruentati vocem audierit: vulnera ipsius, nè dum ora, sed vbera sunt, quæ spem Paradisi alunt. Bernardus ait, *Peccaui peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbatur, quoniam vulnerum Domini recordabor*. Turbatur peccator, respiciēs ad Christi vulnera; sed non confunditur; quando illa esse vbera experitur. In promptu misericordia est, cum per vulnera carnis clamant viscera cordis. Tunc inualescit in hostem miles, quando ducem per vulnera loquentem audit. Mellitissimè Idem. *Vult ergo videri, vult benignus dux deuoti militis vultum, & oculos in sua sustolli vulnera, vt illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem.* Bernard. Idem. Idem.

226 Si ipsum audimus exemplo, & voce loquentem, de victoria in-

Christum, vt ducem in prælio obseruare debet Christianus.

vitia certi sumus. Cùm bellum feruet, ac ferrum sæuit ferox in hostes: cum dubio Marte pugnatur, miles & auribus, & oculis in ducem fertur, vt ipsum vel audiat loquentem, vel inspiciat signa dantem; tunc enim miles strenuè pugnat, quando pugnat ad voluntatem Ducis. Semper egregius Dux Christus, at se superior, cum patiens, & cruci affixus in tartareas Dæmonum phalanges irrupit, quibus tunc potissimum à Deo permissum omnes experiundi artes, & astus, vt tanti ducis augerent triumphum; illis ideò dictum.

Luc. 22.

Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Porrò strenuè Christus in Dæmones, & viuus, & mortuus pugnat, fundit hostem, fugat exercitũ, castris exuit, exuuias rapit, vinctos Patres ex inferis educit, quos Cælis destinauerat, reddit, dux omnia absoluit ad nobilem triumphum. Quid miles aget, vt victoriæ suæ dux participes nos faciat? Audiat Christum in passione loquentẽ: verba, quæ protulit per vulnerum ora, ipse verset animo suo: meditetur vultũ sputis, ludibrijsque obductum caput spinea corona redimitum, Ducem in throno crucis sedentem:

tem: qui hæc cõsiderat in tuto est, & de vitijs, & de dæmone triumphauit. Eleganter id Origenes. *Tanta est vis passionis Christi, vt si ante oculos, vel in mente fideliter retineatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nulla superare possit inuidia, sed continuò ad eius potentiam, totus ille peccatorum, & carnis fugatur exercitus.* Mirum quantùm ad vitiorum victoriam valet passionis Christi meditatio! Origenes in Epistola ad Romanos.

227 Sancto igitur ritu Ecclesia, dùm recolit passionis memoriam, fulgens crucis vexillum mortalium oculis obijcit, vt inspicientes, audiant Christum in illa loquentem. *Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis mysterium.* Cæsar Augustus cum in ancipiti esset prælio, & hostes vincere pene diffideret; apprehendit, vtraque manu vexillum, in quo triumphales Aquilæ sculptæ conspiciebantur, illud in hostium medium iecit, sic illos affatus. Patiemini macti virtute milites, vexilla vestra, gloriosissima signa, in hostes iacta, ab hoste illudi, pede barbaro conculcari? signa illa, quibus victores toties arcem Capitolinam ascédistis ab hostibus irridentur; quæ olim Orbi terrarum toti, erant ter- Cæsaris ars ad milites animandos.

rori, erunt nunc hostibus ludibrio? Hac Ducis oratione ferocior factus miles, sæuit in hostem, impetit illum, propulsat, fundit, fugat, tandem feliciter vincit. Ita & Christianus Dei voce incitatus, Christi exemplo punctus, considerans Christum vexilliferum nostrum in manus peccatorum, & potestati Dæmonum traditum, cur vitiorum confertam turbam non impetit, sacra exomologesi armatus veniã non impetrat, peccata non conterit, Christum nõ vendicat, crucem non liberat? Id suadet Ecclesia recolens crucis memoriam, quia Christianus id totum sola passionis consideratione perficere valet. Id affirmabat Origenes. *Tanta enim vis in Crucis contemplatione sita est, vt statim per eam peccatorum fugetur exercitus*. In nos animaduertimus peccantes, si Christum intuemur patiẽtẽ, si audimus loquẽtẽ. Imitemur triũphãtem Martyrẽ, quem his verbis laudat Bernardus. *Martyr tripudians, & triumphans toto lacero corpore, & rimante latera ferro, non modo fortiter, sed alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem*. Sanguinem suum lætus, Martyr videt, quia in illo Christi cruoris

Christus inter tormenta considerratus excitat ad contritionem.

Origenes.

Bern. ser. 67. in cant.

ris vocem audit. Meritò cælestis Parens monet discipulos, vt audiant suum verbum, audiant filium, qui factus caro flagellis, spinis, clauis, cruce loquitur, efficacius, quàm olim ore loquebatur ad turbas; Acriùs enim pugnăt in scelera clamores vulneris, quàm oris voces.

228 Accedit, quod numquam triūphauit gloriosiùs Christus, quă in ligno, ideò vt dux, vt princeps in solio Crucis clamans audiendus. Petit festiuè à latrone Sanctus Augustinus, quomodo Christum in Cruce patientem agnouit non modo Regem, sed Paradisi liberalissimum dispensatorem. *Dicito mihi latro,* inquit Augustinus, *Regnum petens, quid in eo vides tale, ex quo petis? dic mihi, nam quod in conspicuo est, clauos, & crucem cernis: sed hæc* (inquit) *Crux,* R*egni insigne est, & propterea* I*esum Regem appello, quia video crucifixum*. Crux, & claui clamant Christum Deum, Regem, Regnorumque largitorem.

Christus in Cruce Princeps.

Augus.

Idem.

Luc. 23.

229 Denique ipsum audite de cathedra differentem. Est enim crux docentis cathedra; vt nos pluries ex Augustino diximus. *Si audias prædicantem per vulnera, si perpendas* dolo-

Christi crux cathedra.

dolorem, si patientiam, si charitatẽ: continuò oculis, & auribus à patiẽte Domino illam hauries disciplinã, quàm toties inculcat Rex Hebræus.

Psalm. 2. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus*. Drogo expendens Prophetæ verba.

Thren. 1. Drogo ser. de pass. Christi. *Attendite si est dolor, sicut dolor meus*. Docet quo pacto ex Christi dolore hauriamus salutem. *Attendite dolorem meum, vt in dolore meo videatis dolorem vestrum; dolor meus imago doloris vestri est; quod attenditis in corpore meo, attendite, & vos, similis in vobis est sicut dolor meus. Nolite flere super me, sed super vos flete, nam ille dolor, quem transitis, & non attenditis, magis est flendus, quàm dolor meus; propter scelus enim vestrum percussus sum. Hæc nobis de cruce tua clamas, ò benigne Iesu, & si non verbis, tamen ipsa re*. O si audias Magistrum in se ostendentem tua vulnera! Matheseos eruditi, vt rudiores doceant, in lapide exprimunt lineas, quas in dura discipulorum mente exprimere non possent. itaque signatas in silice aspiciũt oculis, quas memoria retinere nequeunt. Id ipsum in lapide angulari Christo agnosce, in illo figmenta tua punita lege, in illo scelera tua deleta vide; & quæ

præ

præ tui cordis duritie in te cognoscere non vales, lege in Christo. Addo si incides in illum velatum, velum ipsum mysteria reuelat. Acutè idem Drogo. *In domo Principis Pharisæorum velata facie colaphizatur Christus, quia in domo conscientiæ cœcata mente colaphizatur Christianus. Quod enim Christus in publico, ego patior in occulto: quod ille foris à ministris Caiphæ, ego intus à negotijs Sathanæ.* Sēper igitur verbū in nostri beneficium vel tectum, vel detectum loquitur, *Ipsum audite.*

Christus cur velata facie colaphizatur.

210 Non audeo recensere voces in passione effusas: plures sunt, quàm vt numerare illas valeam: Quot in Sanctissimo Corpore flagella! quot in venerando capite spinæ! quot in pulcherrimo vultu sputa! quot contumeliæ! quot blasphemiæ! quot ludibria! clamant omnia: cuncta habent voces, quibus ad pœnitentiam prouocetur Christianus. *Ipsum audite.* Si patientem audies, glorificantem spectabis: vox, quæ te ad passionem vocat, eadem vocabit ad gloriam. *Oportet enim per multas tribulationes intrare in Regnum Dei.* In Monte Tabor, dum delibatur beatitudo, complanata tibi ostenditur

feminta

semita, quà ad veram, & perfectam vitam pergere valeas.

Neminem viderunt, nisi solum Iesum.

Parergon.

Patronus vnitatis Deus, diuisionis dæmon.

ANNOTAT. XXX.

231 CHristi, Moysis, & Eliæ, in culmine mõtis consessus, vnionis odorem halat; omnia enim in vnum terminant Christum; solo Iesu superstite, euanescunt cætera. Frustra ergo plurima tabernacula molitur Petrus; vnum est illi necessarium. Pars optima vna est, cui toto pectore, totis viribus incumbẽdum; Vnus Iesus in cordis medio locandus. *Neminem viderunt nisi solum Iesum*. Vbi Origenes egregiè: *Sufficit videre Iesum: sufficit videre lucem, quam qui sequitur non ambulat in tenebris*. Obscura lex sine luce; super-

Vnitati semper studendum.

Origenes.

ſuperuacanei Prophetæ ſine Chriſto: cuncta ſine hoc ſole tenebricoſa; ipſe tantùm ex Patris præcepto audiendus. Euangelicæ veritatis vnda, quà per legem, quà per Prophetas deriuàt, per Chriſtum tantummodò ad mortales allabitur; Eleganter Sanctus Auguſtinus increpans Petrum. *Quid Petre quæris diuidere, magis oportet adiungere: tria quæris, intelligis vnum. Ipſum audite, ipſum audiſtis in Prophetis, ipſum audiſtis in lege, & vbi ipſum non audiſtis?* Reprehenditur iure Petrus, qui ad ſenſum magis, quàm ad rationē dimetitur vota ſua, cùm non vnum, ſed tria ſtruere tabernacula parat. Pulchrè idem Auguſtinus. *Ille quærebat tria tabernacula conſtruere, quod diuidere humanus ſenſus cupiebat, cæleſte reſponſum monſtrauit.* Quarè & verbis, & factis admonetur, vt quod non audiuit à patre, percipiat à nube, vuum, vni Deo tabernaculum paret. Idem Auguſtinus eleganter. *Denique nube emendatus eſt, & ecce vnum tabernaculum, nubes facit.* Auguſtinus.

231 Porrò vnitatem Deus quà naturæ opifex, quà gratiæ elargitor perpetuò inſinuare humanis pectoribus non ceſſat; Hanc in Monte, Deus vnitatis amator.

vbi

vbi exhibetur veritatis testimonium fœdatam à Petro per plurium tabernaculorum structionem conqueritur. *Nesciens loquebatur.*

233 Naturæ opifex vel in ipsis plasmati hominis cunabulis, vnitatem commendauit; dum voluit humanam propaginem, non à plurimis (vt in cæteris animantibus) sed ab vno deriuatam: Id aureis verbis

Augustinus. Augustinus: *Numquid Deus de vna aue accepit cæteras aues, numquid de vno pisce omnes pisces, de vno equo omnes equos, de vna bestia omnes bestias? Numquid non multas plantas simul terra produxit, & fœtibus multis compleuit? Ventum est ad hominem faciendum; & factus est vnus. & de vno genus humanum. nec duos facere voluit separatim masculum, & fœminam, sed de vno vnam. Quare sic ab vno genus humanum inchoatur, nisi quia generi humano vnitas commendatur?* Adijce quod idem Sanctus affirmat ex dolore, quem animal patitur dum diuiditur, acutè colligi à natura insitum homini vnitatis appetitum.

Idem lib. 3. de lib. arb. *Quid,* inquit, *aliud est dolor nisi quidã sensus diuisionis, vel corruptionis impatiens: vnde luce clariùs apparet, quàm sit illa anima in sui corporis vniuersitate*

te auida vnitatis, & tenax, quæ nec libenter, neque indifferenter, sed potiùs renitenter intenditur in eam passionem corporis sui, per quam eius vnitatem, atque integritatem labefactari molestè accipit, non ergo appareret quantus inferioribus creaturis amabilis esset appetitus vnitatis, nisi dolore bestiarum. Ab vnitate abijt homo, cum simplex & rectus conditus, infinitis se miscuit quæstionibus, sic miser dum plura struit, vnum quod illi necessarium est destruit, si semper permaneret vnus, numquam foret morti obnoxius: ex diuisione imminet illi virium casus, & supremus tandem occasus.

234 A natura pergo ad gratiam, cuius author, iussit corpus Ecclesiæ vnum, licet ex diuersis compaginatum membris; vnum baptisma, vnam fidem, vnum regimen; vt fidelium cor vnum, & anima vna foret. Id disertissimè Ambrosius. *Quia vnum corpus est Ecclesia, vnum sapiat populum: quia vnum est, quod creditur, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus Pater omnium, qui super omnes, &c.* Rationem perpulchram addit Clemens Alex. *Hoc quoque vnum est ijs, quæ vult Deus, nil concupisce.*

Ambros. c. 4. ep. ad Ephes.

Clem. Alex. l. 7. strom.

piscere,nullum habere odio, est enim opus vnius voluntatis omnes homines. Vt moneat eos, qui in voluntate diuina sunt vnum, non debere cognitione, vel amore esse diuiduos; quarè charitate copulati vnam profiterentur fidem. Facessant à Christi Ecclesia Apostatæ, & hæretici, pestifera orbis lues, qui discerpũt, & lacerant inconsutilem Christi vestem,vt Sancto Petro Alexandrino præsuli, fecisse Arrium reuelatum est. Fœdè vnitatem discerpunt Nouatores,qui Ecclesias sibi fingũt ex his, quæ illis placent deliramentis:tot sibi astruentes sententias, quot illis sunt capita. Vnam sibi elegit Ecclesiam Christus,cui vnum caput Romanus Pontifex, solidam, firmam,in monte hoc præsignatam, numquam euersam,numquam euertendam, quamuis inferorum portæ in eam arietènt toto conatu. Meritò vix orta Ecclesia ostenditur vnitatis amans, plura tabernacula respuens, vnicum & Christo struendum docens.

Ecclesia semper vna.

Thabor figura Ecclesiæ.

235 Quot innumeri Martyres, Præsules,Confessores, Virgines, meritis,& coronis suis Sanctam Ecclesiam exornant,ea tamen est eorum

vni-

vnitas, vt ex tota Sanctorum corona, vnus solummodo dicatur metam attingere, palmam referre. Id eleganctibus expressit verbis Anselmus. *Vnus*, inquit, *prædestinatorum Christianorum populus, qui legitimè currit, accipit brauium, quoniam sola vnitas eorum, qui sunt corpus Christi, palmam consequitur*. Suspice vnionem magnam, in qua tot Sancti viri, martirio gloriosè perfuncti, virginitatis laurea decorati, doctoratus corona redemiti, alijs diuersis, & innumeris infulis insigniti, dicuntur tamen Vnus: quia legis plenitndo, qua brauium reportatur, in vnitate cōsistit: quæ si diuidatur actū de brauio, & de Palma est. Eò etiā allusisse puto Sanctum Veronensem præsulem Zenonem, illùstrantem iuxta suam versionem verba Dauidica. *Labores manuum tuarum, quia manducabis beatus es, & bene tibi erit*, vertit ille. *Labores fructuum tuorum manducabis*. *Sermo ad plures cæptus, ad vnum refertur, docens omnes, qui in Christum crediderunt, vnum esse; Apostolo ita confirmante; omnes vos vnum estis in Christo Iesu Domino nostro*.

Anselm: 1.Cor.9.

S.Zen. Psal.127.

236 Qua propter Paulus Aposto-

lus, sanctissimis monitis Christianos ad perfectionem vrgens, iubet virgines omnes permanere, sicut se, quod hoc argumento tamquam validissimo suadet, nè diuisioni obnoxij sint. Quia, *qui vxorem duxit, cogitat quæ sunt mundi, & diuisus est.* Diuisionem, vt scopulum, quo impacta humana nauigia franguntur, vt syrtes, ad quas illisæ humanæ mentes pereunt, vt malorum omniũ ad quem mortales impingunt cumulum ostendit, monens Christianos, vt pro virili vnitatem sectentur, quà syrtes, quà scopulos, quà fretum eludere valeant, & securi salutis portum appellere.

237 Sors diuina, ad quam aspirant Christiani; remotissima à diuisione est; propterea vel ipsam diuisionis vmbram maximè perhorrescit. Cum quidã peteret, vt hereditatẽ partiretur, ac diuideret in fratres. Petitionẽ Christus egrèferens, respondit. *Quis me constituit inter vos Iudicem, & diuisorem?* Quod aureo suo eloquio illustrans Chrysologus ait. *Dari potest: diuidi non potest sors diuina.* Omnibus Christianis (qui olim fratres dicebantur) interdicta erat diuisio, quarè scitè idem Chrysologus

Ipsa diuisionis vmbra Christo. Chrisol. ser. 162.

Chrisologus

gus carpens hominem, qui fraternæ hereditatis Christum diuisorem expetebat, ait. *Non potest dicere fratri; diuide, qui per prophetam docuit. Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Sed propius ad rem nostram Petrus Damianus. *Non habebis Iesum iudicem, & diuisorem, sed diuisionis vltorem.* Quò etiam respexit Christus, qui vnam voluit suæ passionis memoriam, vnum gloriæ pignus, omnes vno signo munitos, omnes eodem pane, eodemque vino refectos; ideò iussit; vt quos vnum iungeret baptisma, eadem copularet, & mensa, ne vllum inter eos foret dissidij periculum; Sic ex glossa ait D. Thomas. *Ecclesia constituitur ex diuersis fidelibus scilicet panis conficitur ex diuersis granis, & vinum fluit ex diuersis vuis.* Quæ omnia perpetuam Christianis omnibus vnitatem & pacem monent.

Psal. 132.

Petrus Damianus epist. 16.

D. Thom. 3. p. q. 74. art. 1.
Eucharistia sub symbolis vnitatis data.

238 Præsulum sydus Ambrosius elegans excogitauit argumentum, quo Deum summopere diuisionem perhorrescentem probaret, cum in eàdem lance, fermè eodemque pondere appenderet Prauum, & Diuiduum; itaque prauum numero mul-

titudinis; probum vnitate explicauit. Sic quando Numen homini imperat, nè de fructu arboris scientiæ boni, & mali sumat, cum multis loquitur; cum verò suadet, vt de aliarum arborum fructibus comedat, cum vno. Malum multitudine, bonum vnitate signans. *Ex omni ligno, ait, quod est in Paradiso ad escam comedes. Qua die autem manducaueritis ex eo, morte moriemini: qua ratione, vbi præcepit ex omni ligno edendum singulariter dixerit, edes: vbi autem de ligno scientiæ boni, & mali, pluraliter, edetis, dixerit, non otiosa quæstio. Verùm si diligenter intendas, Scripturarum authoritate absolui potest, Quod enim bonum, hoc est faciendum: Quod autem bonum & faciendum, consonans, & adhærens; Quod verò turpe, hoc dissonans, & incompositum, atque indiscretum est: & ideo Dominus vnitatem semper intendens, secundum vnitatem præcepit. Denique vnitatem operatur, qui fecit vtraque vnum; Nec solum vtraque, sed etiam omnes vnum fecit; omnes enim vnum corpus, & vnum spiritum esse nos iussit: ergo vbi bonum præcipit tamquam ad vnum dicens, non edes; vnitas enim præuaricari non potest: vbi verò de ligno scientiæ boni, & mali dicit non esse gu-*

stan-

Diuisum, & prauum æquipollent.

Genes. 2.

Ambros. de Parad. c. 5.

standum, quasi ad plures. Quod enim prohibitorium est, tamquam pluribus imperatur. Itaque Deus, optimus rerum moderator, quod vnum est, ad se spectare; quod diuisum à se distare decernit. Hinc acutè colligit idem Ambros. haud esse sententijs disceptandum, hoc enim esset Dei imperium vnum & indiuisum minuere. *Quamdiù* ait, *sententijs discrepamus, quodammodo Regnum Christi minoramus, quia nondum ei subiecta sunt omnia, tunc & ipse subiectus erit illi, qui sibi subiecit omnia in omnibus, vt scriptum est.* Vbi vnita comperit Deus, etiam non vocatus accedit: *Vbi duo, vel tres fuerint congregati, in medio eorum ego sum.* Diuiduus igitur non speret gloriam, quippe, & à Christo, & ab Eccelesia amandandus. In visione hac, quam sæpe ex Caietano gloriæ libamentum diximus, nil nisi vnum conspicitur: reprehenditur Petrus, qui cogitat tria struere tabernacula; quandoquidem ex omnibus ab Apostolis antea visis nihil remansit; nisi solus Iesus.

Ambros. In psalm. 61.

Per diuisionem Regnũ Dei miuuitur Aug.

Matt. 18.

Diuiduum gloriam desperet.

239 Iob, probitate sua, vnitatem adstruit, qui dum est simplex, etiam est probus, *Vir ille simplex, & rectus,*

Numquã probitas dissociata à simplicitate inuenitur. Augustinus hac ratione egregiè in Donatistas inuehitur. *Ecce apparuit veritas, quid adhuc fugitur vnitas, quid adhuc contemnitur charitas, quid est nobis per nomina hominum diuidi? qui nos creauit vnus est Christus; qui nos sociare debet vnus est Christus.*

Augustinus.

Vnitas socia veritatis.

240 Charitas vna est. Ipse spiritus, qui charitatem in cordibus nostris diffundit, sanctissima est Patris, & filij vnio, nexus indissolubilis: Veritas, quam societatem cum vnitate habeat, ipsa entis natura docet: nam simplicia tamdiù manent, quãdiù vna, quando componuntur, mistione destruuntur. Id eleganter Cicero de senectute, de nostro animo loquens, *Cum simplex animi sit natura, nec habeat in se quidquam admistum, dissoar sui, atque dissimile.* Quod non est dinidum, mortale est: ex compositione mors oritur, ex simplicitate permanet vita. Sacer author ex diuisione colligit præsentaneum mortis discrimen, *Diuisum est cor eorum: nunc interibunt.* Qui verus semper vnus & sibi constans; qui mendax à se est diuisus, & sibi sæpe contrarius.

Cicero de senect.

241 Cum

241 Cum Ambrosio notationem hanc consigno. Deo similis esse debet homo. Ille perfectissimè vnus, quia trinus. Sic Christianus, quamuis discretus in aliqua, vnitatem veluti essentiam teneat: cum illa numquam erit improbus. *Est enim plenitudo diuinitatis in Patre, est plenitudo diuinitatis in filio, sed non discrepans, sed vna diuinitas, nec inconfusum quod vnum est, nec multiplex, quod differens.* Vnum igitur sit vni Deo tabernaculum, vna immissa nubes, vnus post spectaculum visus Christus.

Ambros. l. 1. de fid. ad Grat. cap. 2.

Per vnionem Deo similes.



Numquã probitas dissociata à simplicitate inuenitur. Augustinus hac ratione egregiè in Donatistas inuehitur. *Ecce apparuit veritas, quid adhuc fugitur vnitas, quid adhuc contemnitur charitas, quid est nobis per nomina hominum diuidi? qui nos creauit vnus est Christus; qui nos sociare debet vnus est Christus.*

Augustinus.

Vnitas socia veritatis.

240 Charitas vna est. Ipse spiritus, qui charitatem in cordibus nostris diffundit, sanctissima est Patris, & filij vnio, nexus indissolubilis: Veritas, quam societatem cum vnitate habeat, ipsa entis natura docet; nam simplicia tamdiù manent, quãdiù vna, quando componuntur, mistione destruuntur. Id eleganter Cicero de senectute, de nostro animo loquens, *Cum simplex animi sit natura, nec habeat in se quidquam admistum, dispar sui, atque dissimile.* Quod non est diniduum, mortale est: ex compositione mors oritur, ex simplicitate permanet vita. Sacer author ex diuisione colligit præsentaneum mortis discrimen, *Diuisum est cor eorum: nunc interibunt.* Qui verus semper vnus & sibi constans; qui mendax à se est diuisus, & sibi sæpe contrarius.

Cicero de senect.

241 Cum

241 Cum Ambrosio notationem hanc consigno. Deo similis esse debet homo. Ille perfectissimè vnus, quia trinus. Sic Christianus, quamuis discretus in aliqua, vnitatem veluti essentiam teneat: cum illa numquam erit improbus. *Est enim plenitudo diuinitatis in Patre, est plenitudo diuinitatis in filio, sed non discrepans, sed vna diuinitas, nec inconfusum quod vnum est, nec multiplex, quod differens.* Vnum igitur sit vni Deo tabernaculum, vna immissa nubes, vnus post spectaculum visus Christus.

Ambros. l. 1. de fid. ad Grat. cap. 2.

Per vnionem Deo similes.



Visionem, quam vidistis, nemini dixeritis.

Transfigurati Christi mysterium, non ante Resurrectionem innotuit. Quod Orbis terrarum humilitate potius, quàm gloria fuerat debellandus.

ANNOTAT. XXXI.

Thaboris gloria non publicatur, ne fiat incredibilior.

Chrysost.

242 NE gloriosa mysteria, ingenti cum gaudio à summis & noui, & veteris testamenti proceribus visa, alijs forent communia, abstinere Apostolos de his sermonem Christus iubet: *Nemini dixeritis visionem, donec à mortuis resurgat filius hominis*. Verum ratio cur tam seuerum silentium indicitur, non ita explorata, & omnibus obuia. Beatitas terminus est, ad quem cuncta mortalium vota collimant, cur prælibatum eius gustulum erit silentio obuoluendum? Chrisostomus putat, ne magnitudo miraculi euangelizantibus detraheret fidem. *Futu-*

Futuri enim Regni prædicatio, & gloria triumphantis demonstrata fuerat in monte, non ergo voluit hoc in populis prædicari ne incredibilis esset præ rei magnitudine. Res magna, quæ hominis superat captum, vt adstruit diuinam fidem, sic aufert humanam, difficulter ea creduntur, quæ mente capi non possunt. Chrysost.

Adijce, quod vulgari ea mysteria dedecebat, quæ vix dignum fuit eximium par hominum, ex toto veteri testamento conspicari. Idem Chrysostomus. *Moysen, & Eliam producit, ceterorum prophetarum vertices, vt quam magnum sit in seruos, & Dominum discrimen, oculis cernerent; vt rectè laudatum crederent Petrum, quòd eum filium Dei confessus est.* Quis vnquam scribarum, & Pharisæorum credidisset, Moysen, & Eliam inter aulicos numeratos, adfuisse in monte, Christo ministraturos? Piscatorum euangelizantium fidem superabat hęc methamorphosis. Noluit Christus ieiunium suum vltra quadragesimum diem extendere, nè temporis mora fieret incredibile. Ita ex Gregorio, & D. Thom. Cum igitur minimè gens superba, piscatorum testimonio acquiesceret, noluit

D. Thom. q. 46. art. 2. Christus cur non plus quàm 40. dies ieiunauerit.

luit mysterium euulgari nè prædicantium veritas in ludibrium verteretur. Consultò itaque prohibet, ne quis de tanto mysterio verba faciat. *Nemini dixeritis, donec à mortuis resurgat filius hominis*. Conglomerata, & connexa miracula fidem erant allatura prædicantibus, ideo non ante passionem, sed statim à resurrectione iubet, vt filij Dei gloria toti prædicata clarescere Mundo.

Conglomerata miracula fidem adstruunt.

243 Sed cur nemini? Scribis certè, & Pharisæis inuidentibus meritò hoc Sacramentum occultatur, sed cur Apostolis, ceterisque fidelibus Christum amantibus? hoc sanè testimonio firmiores, alacrioresque imminentem Christi passionem sustinuissent. Censeo Apostolis, ac reliquis ex hac schola prohibitum, quia tali modo Christus ecclesiasticum regimen insinuabat suis, non honore, & gloria comparandum, sed humilitate, hac voluit dominari cordibus, hac mentibus, hac de Mũdo triumphare. Si enim tanti mysterij præcones, tãtæ maiestatis oculati testes per terrarum orbem, & per vrbes discurrissent; Quis fidei, & humilitati reliquus fuisset locus à maiestate, & gloria occupatus

Christus mũdum humilitate deuicit.

hoc

hoc noluit, qui orbem voluit fide, & humilitate debellatum. Acutè id attigit quisquis ille sit, imperfecti operis author. *Mandatum nè cui dicerent acceperunt, ne potentia subiugare sibi populum videatur, & non per fidem.* Sacro numinis concilio sancitum erat, vt mortales humilitate, non maiestate in Christianam ditionem venirent: eò mirabilior orbis conuersio, & nobilior piscatorum prædicatio, quò futura erat contectior virtus diuina. Nobilius integumentum nullum, quò sanctitas, ac mysteriorum ferme diuinitas tegeretur, quam humilitas: hac & cælauit se Christus, & obtexit mysteria sua. Quid magnum Regi seculorum fuisset, cuius ad pedes Moyses, & Elias prostrati conspiciebantur, adorari ab Hæbræis? Illud maximũ, humilem, & pauperem superborum principum colla propria virtute calcasse: demissione itaque non maiestate subiugandus erat orbis.

Auth. oper. imperf. in Matth.

244 Numquam discipuli Ioannis Christum Deum adorauère, nisi cũ audierunt mitem, & humilem. Nulla Ioanni illata iniuria, quamuis omnium hominum maximo, si illo relicto concedunt ad Deum humilitate

Christus homines magis humilitate, quàm diuinitate ad se trahit.

tate contectum. Maximus hominum humili cedat Deo. Non obscura mea hæc cogitatio est, cum luceat à Chrysostom. *Considera quia quando dixit, Post me veniens, ante me est, & quando, non sum dignus soluere corrigiam calciamenti, nullum cæpit: sed quando de dispensatione loquutus, & ad humilitatem sermo duxit, dicens, ecce Agnus Dei, tunc sequuti sunt eum discipuli. Multi enim non ita adducuntur, cum aliquid magnum, & excelsum de Deo dicitur, sicut benignum, & amicum hominem audiunt, & aliquid ad salutem hominum pertinens.* Si in Deo humilitas magis commendatur, quam maiestas, quid in homine, cui extranea magnitudo, humilitas intima est, cum ab humo ortum suum ducat.

Chrysost. homil. 17. in Ioannem.

245 Addo descendisse in terras Deum, vt mortales in sui rapiens amorem, illos demissione magis, quã elatione sibi conciliaret. Splendor in vultu, nobilitas in stemmate, maiestas in aula; mortalibus inuidi am non amorem creat. De Moyse, cui ex sermone diuino splendida erat facies, ait sacer author. *Non poterant intendere filij Israel in faciem Moysi propter claritatem vultus eius.*

Christus ex Caluario nõ ex Thabor vult, vt emergant prædicatores.

Exod. 34.

Inui-

Inuidia potius obcæcati, quam claritate illuminati hebræi intueri non poterant faciem irradiatam Moysis. Erat orbis conuersionem non illuminata, sed obumbrata diuinitas paritura. Victoria Mundi, fuga dæmonum, peccatorum conuersio reportatur nō à monte Taborino, vbi claritas vultus & vestium, splendor solis; & altus montis vertex; sed ab Austro, & Pharan, monte vmbroso & condenso; à Caluaria, vbi vultus obductus, sol obscuratas, cruentata caro, crux ignominiosa. In hoc mōte triumphat Christus, in hoc sibi nomen supra omne nomen comparat, cui omne creatum genus, genu flectit. Hæc Christiano est arx Capitolina, in qua honores assequitur summos, in qua gloriosas infulas, & triumphales palmas accipit.

246 D. Thomas affirmat Christum Dominum ad debellandum orbem humilem egisse vitam; hæc futura salutis humanæ redemptrix, hæc diuinitatis prædicatrix. Humus enim prædicat Cælum, vt vnū extremorū per alterum innotescat. Ille iussit occulta beatitatis mysteria in vertice montis, qui nota voluit humilitatis sacramenta in cliuo Caluariæ: D.Tho.3.p. q.40.art.5.

Clan-

Clanculum gloriâ & honore coronatus teſtimonium accipit à Patre. Matth. 20. *Hic eſt filius meus dilectus;* palam ignominia crucis notatus, teſtimonium habet ab homine. *Verè filius Dei erat iſte.* Impellitur homo humilitate magis, quàm ſublimitate ad fidem. Gratius Chriſto diuinitatis teſtimonium, ſputorum, & Crucis ludibrijs deturpatum, quam decoratum honore ſplendoris, & lucis.

247 Chriſtus non ſe Regem gloriæ dicit, ſed diſpenſatorem. *Non eſt meum dare vobis ſed cui paratum eſt à Patre meo.* Imò miniſtrum. *Ego ſum in medio veſtri, tamquam qui miniſtrat.*

Dei fides auribus non manibus percipienda.

Negat Magdalenæ attactum, *Non dum enim aſcendi ad Patrem meum,* quia vult fide, & humilitate non gloria, aut potentia, Dei verbum innoteſcat. Auribus, non manibus percipienda erat Dei maieſtas. Egregiè Bernard. Ber. ferm. 28. in Cant. 4. *Diſſueſce huic ſeducibili ſenſui inniti, verbo fidei aſſueſce, fides neſcit falli, fides inuiſibilia comprehendens ſenſus penuriam non ſenſit.* Quid interrogas ab oculo gloriam, quam non vidit? Quid à manu, quã contrectare nequiuit? Minora ſunt quæ oculus, quæ manus conteſtatur,

maio-

maiora quæ humilitas, ac, fides prædicat.

248 Vsquedum non ascendo ad Patrem ait Christus, maiestatem, & gloriam nolo, humilitatem & fidem esse iubeo vocales. Displicet ordo præposterus; à Taborino monte nõ conceditur ad beatitatem; à Caluaria cepessendum est hoc iter; per tribulationes multas oportet intrare in Regnum Dei. *Nemini dixeritis visionem, donec à mortuis resurgat filius hominis*. Humilitate, fide, labore carpenda ad gloriam via est. His aptatur homo, fitque operarius lapis ad Dei templum. Crux machina, qua sursum sustolluntur mystici lapides ad struendum Dei templum Lorum, quo grandia vinciuntur saxa, vt efferantur sursum, Spiritus sanctus est: omnia expedita, & complanata fide habemus. Anthiochus ad rem nostram egregiè. *Quisquis perfectè credit, lapis est templi Dei: lapis est sollemni apparatu læuigatus, & exequatus in substructione Dei Patris; lapis in sublime euectus machina quadam admirabili Iesu Christi, quæ Crux eius est, præsidio adiutus funiculi, qui Spiritus Sanctus est*.

Fides non gloria Christum prædicat.

A Caluaria, non à Thabor itur ad Cælum.

Anthiochus Monachus ho.p. de fide

Demum iubet, vt tunc fides à pi-

scatoribus annunciata triumphet. *Cum à mortuis resurgit filius hominis.* Vbi mortales iacent in vitiorum coeno, fidei denegatur ingressus, quæ iusto Dei iudicio ad Indos migrat; Cum homines emergunt à sceleribus, cum indita à natura præcepta custodiuntur, tunc illi obuiam procedit fides; imò currit, volat, ita de Paulo philosophatur Sãctus Petrus Chrysologus. *Fuit ergo pium, vt Deus se inuenire quærentibus daret, vt culpã deputaret errori: denique Paulus iudicio tali de persequutore factus est prædicator, quia per zelum legis impugnabat legem, & in Deum Dei amore peccabat, Hinc est quod fides currit ad Paulum, perfidia ad ignorantiam recurrit.* O factum benè! Currit ad Paulum fides alata, pennas sumit, vt quem festinantem in Apostolorum necem deprehenderet, sisteret ad numen, currit ad Paulum, quia zelo legis operatur, quia *In Deũ Dei amore peccabat.* Tardo gradu pergit ad peccatores, quasi inuita: nescit fermè, nisi ad illos procedere, qui à vitiis, & à peccatis conantur surgere; sic iure illis tunc prædicantur mysteria fidei, *Cum à mortuis resurgit filius hominis.*

Chrysologus ser. 157. Fides ad Paulum currit, quia zelo legis armatus.

Ne-

Nesciebat quid diceret.

Parergon.

Linguæ incautè loquentis Damna.

ANNOTAT. XXXII.

249 PEtrum, dum tabernacula spondet, dum æquat Domino seruos, dum non interrogatus respondet, fuisse tenebrarum caligine offusum, res ipsa indicio est. Nos ex his Petri erroribus monitũ colligimus. Nemini scilicet linguæ gladiũ in obscuro stringendũ. Tali noxæ fuisse Petrum obnoxium Euangelista testatur. *Nesciebat quid diceret.* Quæ tantæ caliginis causa in clarissima Petri mente? assignantur à Sanctis Patribus multæ. Causæ cur Petrus ne sciret quid diceret.

150 Grauatũ sõno Petrũ ægrè moderari potuisse linguæ impetum. Theophylactus. *Nescit quid dicat: Christo vacante orationi, Petrus somno deprimitur.* A visione tam grandi raptum in extasim, non expendisse, quem proferret sermonem, Chry- Theophylactus.

Chrysost. sostomus. *Ingestam illi nimium stuporem ex visione illa.* Ex lucidissimis Christi vultus splendoribus, fermè obcæcatum, affirmat Ambros. Ambrosius. *Nescit quid dicat: premit eum incomprehensibilis splendor.* Vtcumque res se habuit; Illud puto certum; Petrum minimè ori suo posuisse custodiam: circumfusum tenebris, in quem peccaret, quemue linguæ suæ gladio feriret, non vidisse. Porrò non vnum, non vni, infert vulnus malè actus linguæ mucro. Bernardus linguam gladium ancipitem, imò, *tricuspitem* vocat. Tres itaque Petrus vnico linguæ telo, ictu vnico, percussit. Se, Deum, Proximum.

Lingua triplicatus gladius. Bernardus.

251 In se prius strinxisse gladium Damascenus putat. *Non est bonum,* inquit, Petre *tibi quod Christus ibi moretur: quoniam si mansisset, facta possessio non consequeretur effectum; nec claues obtinuisses Regni. Non te Dominus tabernaculorum, sed totius Ecclesiæ constructorem constituit.* Linguam quam clauem Regni Cœlorũ Deus destinauit, inuertit Petrus in clauum, quo fixus in monte permaneret. Rupem petit, vt altiùs à dignitate cadat. Petre non à mora in Tabor, sed à morte in Caluaria tibi

Lingua contra ipsum loquentem armatur.

Damascenus oratione de transfig.

Re-

Regna mundi,& claues Cælorum paratæ sunt.

252 Deus etiam, eodẽ linguæ gladio læditur, cum Creatori æquatur creatura. Eleganter Titus. *Nesciebat quid diceret, quia non oportebat tria tabernacula facere, non enim commensurantur Domino famuli, nec comparantur creatori creatura*. Fallax statera lingua est, quæ in eadem lance appendit æternum,& momentaneũ; totum & nihil; Deum & hominem; creaturam & Creatorem. In Deum hominem peccat, quasi filius parere Patri nollet, animam pro grege suo iuxta diuinum mandatum, non ponens. Ita Cyrillus. *Et cum iam sumeret exordium dispensatio, quo pacto oportebat Christum desistere à Mundi dilectione, volentem pati pro eo*. An Christus petit montem nè obtemperet Patri, vt Ionas mare, ne pareret Deo? erras Petre si id putas. Vtrum crudelius perculsus à Petri lingua in Tabor Christus: an à spinis, clauis, lancea in Caluaria? incertus sum. Id de Petro affirmarem, quod de praua lingua Bernardus. *Nec vero eiusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo dominicum latus confossum est crudeliorem dicere verearis. Ipsis quoque no-*

Lingua Deũ lædit.

Titus.

Moram mõtis suadens, in Deum hominem peccat.

Cyrillus.

Iudæorum lingua Christi perniciosior, quã claui,& spinæ.

Bernardus ser. de tripl. cust. manus linguæ, & oris.

centior est spinis, quas tam sublimi capiti furor militaris imposuit; seu etiam clauis ferreis, quos sanctissimis manibus illis, & pedibus consummatio Iudaicæ iniquitatis infixit; Nisi enim huius, quod nunc pungitur, & transfoditur corporis sui vitã, illius vitæ corporis prætulisset, numquam illud pro isto, mortis iniuria, & crucis ignominiæ tradidisset. Christus, permittit errare Petri linguam, quia præmittere pœnas voluit, impatiens retardatæ Crucis, vsque ad Caluariam: etiam in Tabor eam experiri cupit; repudiàsset vtique in hac vita gloriam dolore aliquo non permistam.

Petri lingua totam lædit ecclesiam.

253 Ceterùm Petrus dum de struẽdis tabernaculis sermonem habet, totam Christi Ecclesiam lædit; ad prærupta montis culmina, & ad solitudinẽ rupis eã amãdans, quæ ab ortu solis erat protendenda, vsque ad occasum. Hinc Damascenus.

Damascenus

Decebat eum non solum perstringere fructum Incarnationis ad opus existentium in monte, sed diffundi ad omnes. Vno itaque teli iactu Petrus offendit plures, vna lingua patrat multa scelera. Hinc moneo, vt nemo dum loquitur in obscuro effundat sermonem. In tenebris gladiator quẽ

Verba cum cautela fundenda.

offen-

offendat, & quam graui vulnere aduersarium lædat, non videt: ita & lingua, quæ nesciens loquitur. Eleganter Seneca fugientis exemplo, quod diximus inculcat. *Fugiens, & silentia noctis captans, silens pergit, & non solum opprimit verba, sed halitum, putans omne illud ab aliis audiri posse, quod ipse audit*. Idem aduertat homo ne perperam loquendo, lædat in tenebris, quem læsisse in lumine pigeat: & lumen, quod cæteris omnibus lætitiam, domi suæ pariat dolorem.

Seneca.

254 Sponsa laudatur vt prudens, quia in neminem non sibi antea cognitum loquuta est. *Labia tua*, inquit sponsus, *sicut vitta coccinea*. Allusit ad vittam, quæ lasciuientes, promissosque crines redigit in ordinem, ita, & lingua intra labiorum septa cogitur, ne in sermones dissolutos effundatur, in sui aliorumque perniciem. Et hic sensus placet Ambrosio. Adiice, sicut non continet solummodo capillos hæc reticula, sed caput ornat; ita optimum ornatæ mentis argumentum erit proba, & prudens loquutio. Alij legunt; *Funiculus coccineus*, ad mensuram alludentes, qua mensurantur arua marginibus

Cant.

Verba, vt capilli, vitta discretionis constringenda.

Amb. in psal. 118, ser. 18.

Verba omnia dimetienda sunt funiculo rationis.

bus castigata. Ex funiculo enim dignoscebantur quæ ad vnam, quæue ad aliam ditionem pertinerent: ne quis arua aliena contra ius, & præscriptos limites tentaret: sic sponsa sua lingua neminem læsit, dum verba ad funiculum dimensa est: nihil in ore suo habuit, non rectum, & ad rationis amussim non mensuratum. Sponsam imitari debemus ex S. Augustini monito. *Stultus valde est, qui non priùs verbum ducit ad linguam rationis, quàm educat à lingua oris: qualis est homo in mente, talem verbositas depingit in ore; inflammat linguæ mobilitas in adolescentia ad iocosa, in virili ætate ad fraudulenta, sed in senili ad detractoria.* Heù contine adolescens, vir, senex intra limites linguā, nè latronum instar, in aliena arua debacchetur ad iocos, ad fraudes, ad detractiones.

Augustin. ad Patres in eremo.

Theodoret.

255 Theodoretus ad funiculum respicit, quem protendens in fenestra Raab meretrix, se suamque domum tutam, à deuastante milite Hiericuntinam vrbem, seruauit. Ita sponsa in labijs funiculum prudentis eloquij gerens, nil ab hoste timet. Eòdem collineauit Sanctus Gregorius Papa. *Si enim murum silentij non habet*

Iosue 2.

Linguæ custodia tutamen ab hoste.

Gregorius psalm. 80.

habet, patet inimici iaculis domus mentis, & cum se per verba extra se ipsam iacit, apertam se aduersario ostendit, quam tanto ille sine labore superat, quanto etiam ipsa, quæ vincitur, contra se ipsam per multiloquium fugat.

256 Vel tandem à gladio sumpta metaphora est, qui in vagina reconditus, innoxium sanguinem non petit. Sic continenda lingua labijs est, nè in cautè, & in tenebris vibrata, Semetipsum, Deum, Proximum percellat. *Mala enim innumerabilia,* ait Chrysostomus; *parit lingua facilis;* quemadmodum tarda, bona plurima. Recondat homo in vagina gladium, nè se prius quam cæteros lædat, vt monet Ambros. *Verberamur vocis nostræ verbere, cum loquimur ea, quorum sono cæditur animus noster, & mens consauciatur.* Caue à sono, qui non aurem, sed mentem verberat.

Lingua gladius condedus intra vaginam.

Chrysost.

Ambrosius l. off. cap. 2. A lingua maledicus primùm sauciatur.

Si à gladio, quo nos ipsos lædimus, transimus ad Iudicis sententiam, qua peccatum linguæ punitur. Affero, quod peccans lingua in se sententiā dicit, nè pœnā illam effugiat, quam ore protulit suo. Eleganter idem Ambrosius. *Grauè malum est, ut aliquis ore suo condamnetur. Tace ergo*

A lingua propria maledicus damnatur. Ambrosius.

ergo, & priùs audi, vt non delinquas in lingua tua. Damnatæ præstò sunt satellites, vt ream loris vinctam, sistāt ad Iudicem. Idem cap. 4. *Laqueus aduersarij est sermo noster; sed ipse non minus aduersarius est nobis: loquimur plerumque, quod excipiens inimicus nostro gladio nos vulnerat; quantò tolerabilius esset, alieno gladio perire, quā nostro?* Gladio suo perit: se perimit, qui nesciens loquitur.

Maledici verba laquei sunt.

257 Addo qui incōsiderata verba effutit, & ad rationem non dimetita, si iudicem, si lictorem, si aduersarium effugiet, labores non eludet, & angustias; quæ vitam è medio vitæ tollunt, & iuuenem cogunt senescere antequam adolescat, vel virilem ætatem videat. Egregiè Chrysostomus ad illa Vatis Regij verba *Pone Domine custodiam ori meo*. *Quicumque*, ait, *ad linguam temperandam non veniunt: in peccatis suis veterascunt, & senescunt*. Ni festinas temperare linguam, curret intemperata ætas tua ad senium; illa hūc te vocat; cursores, qui ad senectam te arcessunt, multi. Tribulatio, angustia, labor, dolor; quos lingua tunc misit, quando incautè loquuta est. Temperatæ, & moderatæ linguæ homo, sene-

Chrysost.

Maledici pœna, citó in peccatis consenescere.

ſeneſcet fermè numquam: plerumque quietè, ſine tricis, ſine turbis fato ſuo appropinquabit.

258 Lædit etiam perperam loquēs proximum: Fermè in peſtifera cathedra ſedens illum inficit venenis. Halat virulentus ex malè loquentis cathedra vapor; totam corrumpens, & deprauans viciniam. *Quemadmodum*, inquit, Chryſoſtom. *aer peſtilēs, & qui morbos procreat, ita etiam verba faciunt, quod facit ille in corpore, id ea faciunt animæ, quæ illa ſuſtinet.* Rex Hebræus monet, vt oris oſtiū claudamus, nè à graſſantibus peſtilentiæ venenis, cadant homines. *Pone ori meo cuſtodiam: dum conſiſteret peccator aduerſum me.* Quia in vicinia ſerpit peſtis, ait Dauid, ianuam obſtruo, nè morbus inficiens intret.

Lingua maledica peſtis Chryſoſt. in pſal. 14.

259 Adijce: ex procaci lingua, occaſio dæmoni, vt loquentes, & colloquentes aggrediatur. Obſeruat id Chryſoſt. hom. ad populum. *Hoſtis inſidias præparare ſolet, ſed faciliùs lingua, & ore peccanti, nullum enim æquè congruum illi organum in miniſterium interitus, atque peccati.* Perperam loquens lingua, inſtrumentum, & organū dæmoni, efficitur, quò dulciùs interitus, & peccata hominū canat,

Lingua maledica occaſio dæmoni ad aggrediē dum. Chryſoſt. ho. ad pop.

Lingua maledica organum muſicū dæmonis.

Qua-

Quarè vrget ille mortalium linguas, vt simul protrahat sibi musicam,& homines ruinis,& malis cumulet. Hinc aureo eloquio de pestifero malè loquentium ore Chrys. *Os quoque nostrum perpetuò custodiamus:rationem, tamquam clauem adhibentes,non vt perpetuò claudatur,sed vt conuenienti tempore referetur,* Clauem promptiorem ad claudenda, quam ad reseranda hominum ora iubeo; quippe ex silētio haud tot mala,quot ex multiloquio, sed qui prudentiæ clauē adhibet,securus erit;ab vtriusque culpa. Ambros. ponderans illud Dauidis. *Ipse liberabit me de laqueo venantium,& à verbo aspero,* ait, *Symmachus,irritationis dixit: Alij perturbationis; Explorans ergo aduersarius nostra arma, acuit sua tela; si viderit moueri me, inserit aculeos suos, vt seminaria iurgiorum excutet, si emisero verbum indecorum, laqueum suum stringit.* Tunc maximè locupletem se existimat dæmō,& quęstuosissimā inuenisse prædā putat cum in malè loquentem incidit. Dum effutimus verba,euadimus verberones: non enim tot verba dicimus, quot verbera à dæmone sustinebimus. Eleganter idem Ambrosius. *Nos autem* clau-

Chrysost.

Ambros. in psal. 90.

Ex lingua dæmon capit lucrum.

Maledicus verbero dæmonis.

Ambrosius l. 1. de Abel. cap. 7.

claudamus ostium, ne culpa intret, ne lapsus aliquis sermonis exeat: intrat culpa si lapsus exierit; Audi quomodo intrat culpa. Ex multiloquio, inquit, non effugies peccatum. Exiuit multiloquium; Nequaquam qui exijt sermo trutinatur, imprudenter labitur: Ecce si ipsum vltra mensuram loqui, grande peccatum est.

260 Tandem perperam, & incautè loquēs, Dæmoni gaudium, & Spiritui Sancto, totique cælesti aulæ mœstitiam affert; Basil. ait. *Adeo magnum est otiosi verbi periculum, vt licet genere ipso de numero bonorum sit, quod dicatur, tamen nisi ad ædificationem fidei dirigatur nequaquam propterea quòd bonum sit, liber sit à periculo, qui illud loquutus est, quippe qui ex eo, quòd ad ædificationem illud non accomodauerit, contristasse noscitur Spiritum Sanctum, hoc enim apertè docuit Apostolus, cum dixit, omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus, & subiecit illud: Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis. Quàm perniciosa res sit contristare Spiritum Sanctum, de hoc quid opus est dicatur?* Sed claudat hanc malorum seriem, ludens ele-

Lingua mala contristat Spiritum Sanctum, & cælum.

Basil. reg. bre.intt.23. Ephas.4.

gan-

Nazianzenus.

gantibus versibus Nazianzenus.

In promptu iaculatur, in arcu sæua sagitta.

Circulum; & in crena neruus adactus habet.

Quas animus misit, volitant, feriuntque sagittæ.

Viuos victuros: cum superisque homines.

Hæc æquè incautos, & cautos figit amicos;

Atque hostes, prauos vulnerat, atque bonos.

Vicinos, procul & positos: ac denique ninon

Qui domat hanc, sophiæ culmina prima tenet.

Augustin. Linguæ directio ab vno Deo.

Sed quid remedij ad linguæ lubricitatem, si illam hominum nullus domare potest? Augustinus ait, *Ad Deum confugiendum esse, qui domat lingnam nostram, si enim tu domare volueris, non potes, quia homo es.* Supra naturam erit, qui supra linguam, hæc vna totius humanæ naturæ æstimatur flagellum. Olympus est, quò hæc lingua lædens non pertingit; vna, & Cælum, & terram feriens. *Posuerunt in Cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terram.* Ad Deum confugiamus qui iubet, vel vt prouoluti

uoluti ad terram, ipsa tellus loquentis ora claudat; vel vt aures habeamus soli Numini apertas, ad cetera omnia clausas: *Ipsum audite*. vel donec perfecti euadamus silentium indicit, tunc enim cum Domino resurgimus: *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat*. Tria sunt hæc virulento gladio adhibenda medicamina, ne vibratus in tenebris, Nos, Proximum, Deumque lædat.



Mons Tabor, & Cœnaculum comparantur, Christus Transfiguratus, & Sacramentatus.

ANNOTAT. XXXIII.

261 COenaculum inter,& Montem Taborinum subori-ri contentio poterit. Quodnam videatur esse maius? Cœnaculum apparet dignius, quia in illo Passionis diuinæ recolitur memoria. Paschasius ait; *Nil defuit in hoc SACRAMENTO ad commemorationem passionis, quod tunc extitit in Cruce ad consummationem nostræ redemptionis dum augustissimum instituitur SACRAMENTVM*. Tabor suam dignitatem ostendit, quia ibi gustulum magnæ illius cœnæ, & delibatum gloriæ symbolum mortuis, & viuis repræsentatur. Beda. *Pinguis uisione factum, vt contemplatione semper manentis gaudij ad breue tempus deli-*

Paschas. Passionis memoria in cœnaculo.

Beda de corpore & sanguine Christi.

delibati fortiùs aduersa tolerarent. Atqui Christi passio gloriam respiciebat vt finem: ità D. Thomas. *Christus per suam passionem ad hoc peruenit vt gloriam obtineret, non solum animæ, sed etiam corporis*. Quid ergo? Media cum fine, cum dominis serui de nobilitate contendent? Non itiquè cum Monte Tabor Cœnaculũ pugnare poterit.

D. Thomas 3. p. q. 44. art. 1.

262. Addo in Cœnaculo tectam Christi humanitatem, illamque in speciebus panis, & vini cælatã, sub quibus Christus, nedum Deus, sed homo absconditus dici potest. In monte Iesus apparet inter omnes pulcherrimus; viuis, mortuisque, speciosissimum spectaculum exhibens: facies eius supra solem splendet: vestimenta albicant super niuẽ. Sol nonnè pulchrior fulgens, quàm obductus vmbris? Albedo nonnè in niue nobilior, quàm in pane? itaque nec de candore, nec de pulchritudine cœnaculum cum monte glorioso pugnabit. Præterea, superbus ac fastigiosus mons detrectat cum Cœnaculo vix cubiculi limites excedente certamen subire. In montibus quam magna numinis potentia! vix tacti fumigant. *Tange montes, &*

Humanitas cælata in cœnaculo manifestata in mõte tabor.

Dei potentia in montibus ps. 17.

tes, & fumigabunt. Intestinum alunt ignem, validum terrarum vorare orbē, quod nuper in Vesuuiano incendio, periculo nostro, experti sumus. Deus bone! quæ ostenta! quæ monstra meticulosi in terribili illā montis conflagratione inspeximus! Tabor proscenium destinatur, vbi ipsa persona Verbi exhiberetur, regali indumento præcincta, spectaculum regibus, prophetis, patriarchis desideratissimum; quò confluūt legislatores, Prophetæ, Apostoli, a Paradiso, ab Orco, à Mundo, vt Regem regū in decore suo videant, audiant Dei verbū, verbo Patris commēdatū; venereantur latorem Christianæ legis, Regum maximum, misericordiosissimum Numē adorent.

263 Atqui ad tot *Montis* Tabor argumenta, ad tot quas adstruit rationes, non deest qui Cœnaculi impauidus iura tueatur. Pauper, & humilis Iesus in reliquis omnibus visus, at in procænijs, Rex magnus apparuit, supremi Principis magnificentiam fermè ostentans. In monte quinque millia conuiuarum die vna habuit, regale conuiuiū adornauit; auidè comedentibus duodecim fragmentorum sportæ superfuère.

Mons

Mons ipse cœnaculi vices subijt, porrò cum in ipso monte deficeret locus confluenti multitudini, suffecta planities ipsa. Stupet magnificentiam turba, aduolat illius caput regio diademate coronare, cuius tam magnificas experta erat manus: in sententia sua adeò constans, vt si non possêt volentem allicere, nolentem traheret ad Regnum. Quid de sacro conuiuio, vbi Deus, & daps, & dapifer & conuiuator? Marcus ait. *Ipse demonstrabit vobis Cœnaculum grande stratum.* Mar.14. Hieronymus putauit Christum tam magno cœnaculo vsum ad Ecclesiæ exaggerandam magnitudinem. *Cœnaculum grande;* ait, *Ecclesia magna est.* Hieronym. Beda affirmat, hoc fuisse ad legis maiestatē designandā. *Cœnaculū magnum spiritualiter lex est.* Beda. Cœnaculū reuera quā magnū! vbi Deus ipse datur conuiuis in epulum, vbi patratur miraculorū oīum maximū, vbi Deus sub panis specie delitescit.

264 Attonitus expendo, quàm grandia in magno cœnaculo parata sunt. Caro & sanguis, cibus & potio est. Sed quæ hunc sanctissimum concomitantur bolum longe nobiliora; Verbum, Diuinitas,

Pater, Spiritus Sanctus. Papæ! quã magnum ferculum apponitur Christiano? Quæ ipsi Cœli nõ capiũt, cõtinet buccella vna. Verè grande Cœnaculum, cuius sola comparatione lex, & Ecclesia nobilitantur. A Monte Taborino Cœnaculum cubiculi nomine indigitari non abnuo; sed cubiculũ, in quo Christus se Regẽ, se dominũ, se Deũ demonstrauit. Quò fortassis allusit Salomon vbi à sponsa sponsus varijs compellatur nominibus, fratris, sponsi, pastoris; Cum vero de accubitu sermo incideret, mutata verborum formula, de spõso: ceu de augustissimo rege, loquuta est: *Dum esset rex in accubitu suo*. Acutè animaduertens id Hieronymus, ait. *Potuisset dicere sponsa introduxit me sponsus, aut frater meus, aut aliquid huiusmodi, nũc quia cubiculum dictura est, Regis dixit cubiculum, neque aliud nomen posuit: propterea arbitror in hic regem Christum nominatum, vt hoc nomine ostendatur prædiues, vtpotè regiis, multisque opibus refertus*. In montem fugit nè Rex diceretur: in cubiculo latere non potuit, quin Rex regum adoretur. In monte igitur speciosus forma præ filijs hominũ, in Cœnacu-

In cœnaculo se Deus ostendit Regem.

Cant. 1.

Hieronym.

naculo Rex & Princeps maximus illucescit.

265 Magna adornat Pater in Monte, sed maiora in Cœnaculo, in quo vt filius procœnium mortalibus pararet, cuncta, quæ ad naturam, quæ ad gratiam, quæ ad vnionem hypostaticam facerent, in filij manus tradidit, vt hac potestate, ferculum, tamquam memoriam suorum mirabilium, cōponeret. Quarè Sancti Patres augustissimū Eucharistiæ Sacramentū, *Extensionem incarnationis* dixere, vt vbi natura vna, à verbo assumitur, vt fieret Deus, in SACRAMENTO extenderetur ad vnumquèque fidelium, qui hoc pane refectus, Dei vita viuens, Deus euaderet. *Qui manducat me, ipse viuet propter me.* In mōte pulchritudo Christi ab Apostolis cōspicitur: In Cœnaculo omnipotentia adoratur. In monte sol rutilabat in vultu: In cœnaculo: ignis ardebat in corde. Vnde admirans Sanctus Iob dixit, *Quid est homo, quòd memor es eius, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Apponere, verbum cęnatorium est; apponit ergo in cibum viscera sua Deus, filium suum Pater. Quis audiens hoc nō admiratur? Quod Ter-

In cœnaculo communicata homini dona plurima.

Chrisost.

Sacramentum extensio Incarnationis.

Montis, & cœnaculi comparatio

Iob.7.

Luc.1.

tullianus de carnis resurrectione ele gâter, ipse de panis transubstantiatione affirmo. *Recogito totum Deum ibi occupatum, ac dedicatum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, & ipsa in primis affectione*; Cuncta hæc expêdo in Sáctissimo hoc Sacramêto. Occupatũ manu, *Accipiens panem in manibus*: sensu, *eleuatis oculis*: Opere, *benedixit, ac fregit*: Sapientia, *ædificauit domum; miscuit vinum, & posuit mensam*: Affectione in primis, *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*. Dignum opus, in quo totũ occuparetur, fermè defatigatũ Numẽ. Quod tamen præcipuè miror inter innumera augustissimi huius Sacramenti miracula est. Christi corpus in Sacramento diuina virtute ad tam sublime fastigium euehitur, vt nedum spiritalem substantiam imitetur, cum numquam diuisum, perseueret semper integrum, & pluries sumptum, numquam tamen consumatur, sed mortalium factus cibus, hominum, & Angelorum aciẽ adeò superet, vt existendi modũ supra naturam sortiatur, quem nec cælitum summæ mentes cognoscere suis viribus valeant. Expende quò auolauit Sanctissima Christi Caro: supra

Tertullian.

Corporis Christi in Eucharistia eleuatio.

pra Angelorum acutissimam mentē, quæ si diuina gratia non inualescat mirum existendi modū non poterit cognoscere. Quod homo, quod Angelus summam illam, diuinamque essentiam intueri nō valeat, non miror; obstat Theologicum illud effatum *Modus cognoscendi sequitur modum essendi*. Quo pacto, homo materia pene obrutus, Angelus actu potentiaque compositus, purissimum Actum poterit intueri viribus suis? Clauda natura est, vt supremū illud fastigiū scandat: Scipionibus opus habet, vt ad tam sublimem verticem ascendat, lumine vt videat tam ingens lumen. Verùm quòd Angelus non cognoscat corpus naturæ sequioris. Magna in hoc peritissimi artificis ars lucet: Ingēs opus, quod mortalium omnium, & Angelorum superet mentem, diuinam essentiā ferme æmulans. Si illam mens intueri non valet, nisi pereat vt diuina fiat, hoc neque cognoscere mens nostra poterit, nisi eleuata, & facta Deiformis; si ad essentiæ diuinæ intuitum gloriæ lumen: ad sacramentati corporis, gratiæ donum exigitur. Hinc Patres, grauesque auctores rectè putarunt præceptum Angelis

Eucharistiæ cognitio humanam, & Angelicam mentem superat.

gelis, vt humanitatem aſſumptam à Verbo ſub vini, paniſque ſpeciebus deliteſcentem adorarent, vt quam mente non valerent percipere, demiſſiſſimè colerent. Annuère præcepto probi ſanctique ſpiritus, renuère praui. Hinc Eucharisticus panis fortaſſis Angelorum dictus. Itaque ex eodẽ cibo, & boni vitam, & praui hauſere mortem, fameſcẽtes perpetuò futuri in Orco. Quò Rupertum alluſiſſe puto. *Hic panis, victus, & vita Angelicæ ſubſtantiæ, nam in eam deſiderant Angeli proſpicere, quod contemnens facere Angelus, cecidit, & factus eſt pallidus, & mors illum ſequitur*. Hinc agnoſcat homo dignitatem ſuam, cum ex cibo, quem Angeli adorantes comparant ſibi gloriã, ille comedens vitam haurit æternam. Stupet ad hæc Chryſoſtomus *Homo aſſidet in cœna; miniſtrant Angeli apponuntque dapes!*

Eucharistia adorandæ præcept um datum Angelis.

Rupertus in ill ud Io: 8. ille homicida erat ab initio.

Chryſoſt. ad populum hom. 60.

Mons itaque Cœnaculo cedat, neque cum illo audeat conſerere manus; ab hoc, Lucifer cruciatur, etiam Monti maximo æquatus ab authore ſacro. Suſpiciant Sancti Angeli Cœnaculum, montes pluries dicti, quia, quod in illo peractũ eſt, ipſi à ſeculo adorauere.

Dignitas hominis in aſſumenda Eucharistia.

Quid

266 Quid ergo? dum Montis gloriam recolo, condemno; & cuius laudes olim extuli, nunc obtero. Age Mons, felicior tu Cœnaculo, qui meruisti decorem, & pulchritudinem Christi, non latentem sub panis,& vini speciebus, sed mortalium oculis patentem arbitrari. De te, tuisque incolis dictum puto, *Beati oculi,qui vident,quæ vos videtis.* Sic ad vos inquiebat Magnus ille Seleuciensis Præsul. O *beata lumina,quæ in sponsi habitu Christum sunt contemplata*. In nonnullis Mons, & Cœnaculum paria sunt, cum in vtroque futuræ gloriæ prælibatio exhibeatur. De Monte nos supra pluries; de Cœnaculo Ecclesia ait. *Æternæ gloriæ pignus nobis datur*, & Chrysologus, *Quotidianum,& in diem vult nos in Sacramento sui Corporis panis viaticum postulare,vt per hoc ad perpetuum diem, & ipsam Christi perueniamus ad mensam, vt vnde hic sumpsimus, inde ibi plenitudinem,totasque satietates capiamus.* Pacificum sit, & Montis, & Cœnaculi certamen. Vnum nobilius; gloriosiora ibi patrata miracula; Alter felicior, qui Christum reuelata facie lustrauit. Hic itaque

Tabor cœnaculo in aliquibus par. in aliquibus felicior,

Tabur Deũ patentem vidit.

Basilius.

Luc.10.

Chrysol.ser. 68.

à lumine vultus, à candore vestium à Mosis; & Eliæ consortio illustrior; Illud à tristi passione, à recedente Sole, à memoria mortis à conuerso latrone nobilius.

F I N I S.



INDEX
Rerum Notabilium,
Quæ in hoc Opere continentur.

A

Amor

INDEX.

Ant-

Cene-

suum

Chri-

Corona

D

Digitized by Google

Dile-

Famet,

Homi-

Digitized by Google

Iustis

L

Lin-

Cur

M

Nabuc,



O

P

Saba-

S

Vni-

INDEX.

FINIS.

Digitized by Google

D. STEPHANVS MEDICES

Congregationis Clericorum Regularium,

PRÆPOSITVS GENERALIS.

HOc Opus, cui inſcriptio Chriſtus Transfiguratus, siuè Libamentum Beatitatis, à P.D. Thoma de Aquino Sacræ Theologiæ Doctore compositum, & iuxtâ aſsertionem Patrum Theologorum, quibus id commiſsum fuit, recognitum, & approbatum, vt typis mandetur; quo ad nos ſpectat facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propria ſubſcriptas, & ſolito noſtro ſugillo munitas damus &c. Romæ apud S. Silueſtrum, montis quirenalis 10. Iulij MD.C.XLI.

D. Stephanus Medices Præpositus Generalis Cong. Cler. Regul.

Loco ✠ Sigilli.

IMPRIMATVR.
Gregorius Peccerillus V.G.
D. Io: Dominicus Auliſius Canonicus Dep. vidit.

Digitized by Google

ERRORES SIC CORRIGITO.

Pag. vers. Error Sic corrigendus.

Pag.4.vers.19.subractum. subactum.

3.in tit.de Betitate.Beatitate.

5.in tit.Beiatitate.Beatitate.

5.vers.28.Ambrosius. Ambrosius.

9.vers.1.eorde.Corde.

10. 17.Retrabit.Retrahit.

In marg.seuatum.seruatum.

11.Christns Christus.

13. 14 nou.non.

14.in marg.plures pluris.

14.quæmadmodum quemadmodum.

14.in marg.inuidia inuidus.

15. 7.paritur patitur.

17. 4.consilia consilia.

17.in maag:tota naturam perneni t. totam naturam peruertit.

18. 24.marturem, martyrem.

19. 10.Pbarisæi Pharisæi.

vers.11.sed hanc.sed ob hanc.

vers.16.iuuidia.inuidia.

20.m.IEu.dia inferni ariba.Inuidia inferni arrhabo.

21. 15.texerat. tex uerat.

30. 21.suut sunt.

43. 8,Thcresiæ.Theresiæ.

vers.15.actos actus.

44. 26.secuudum secundum.

48. 3.laborati,laboratis.

vers.16.bounm.boum.

vers.23.insipientibas.iusipientibus.

52. 16.hebeatus. hebetatus.

58. 24.figni ficabat signi ficabat.

64. 4.filii. filij.

vers.16.sessaginta.sexaginta.

65. 3.iu lunam in lunam.

vers.29. infita insita.

68. 8.vnques. vngues.

In marg.effasus.effusus.

Pag. vers. error. Sic Corrigendus.

Pag. 68. vers. 16. bumanis humanis.

69. vers. 7. bædos hædos.

70. vers. vlt. muta murata.

74. 8: que quæ.

vers. 18. visitanus . Vsitanus.

vers. 27. muudo mundo.

76. 12. nesciuut nesciunt.

77. 8. ærnmnæ ærumnæ.

79. 12. quemadmodum . quemadmodum.

vers. 20. fine. fine:

vers. 27. iacrymarum . lacrymarum.

83. 24. informem informem.

vers. 27 debet debet.

84. 8. vrtutem virtutem.

86. 5. Hieron Hieron.

10. cnm. cum.

20. quoquc. quoque

88. 3. vnum, vnam.

93. 18. discenditur, descenditur.

99. 16. vnus à cruce, alter à curru. vnus cruce, alter curru.

103. 17. sabulas . fabulas.

105. vlt. Saluatororem Saluatorem.

108. 8. heres . hæres.

110. vlt. pomiserum pomiferum.

111. 30. gesturus, gesturum.

112. 2. accedere accedere.

8. trauquilla . tranquillæ

11. emersit . emersit.

116. 25. hereticorom . hæreticorum.

26. Santissimo . Sanctissimo.

27. presbytero . presbytero.

29. cius eius.

120 27. hebreorum . Hebræorum.

122. 4. Celestium Cælestium.

7. rutilabat que. rutilabatque.

12. setties . septies.

20. hebrei. Hebræi.

23. splendiorem, splendidiorem.

Pag. vers. error. Sic corrigendas.

Pag.123.vers.5.attecficio. artificio.

124. vers.21.nimirnm. nimirum.

128. 19.vnum. vnum.

129: 3.faellitio.fatellitio.

130. 12.Phariseis. Pharisæis.

132. 14.in cuna.in cunis.

In marg.balans.halans.

133. 6.Illium filium.

7.possimus posſimus.

In marg.Christo Christi.

siderium sidereum.

134. 6.labi?s labiis.

15.non non.

135 10.tn nobit.in nobis.

136. 12.Cæiorum Cælorum.

138. 6.ornare ornare.

142. 26.apposira apposita.

143. 6.Seripturæ Scripturæ.

29.Sanctlſsimi Sanctiſsimi.

146. 9.delitiarnm delitiarum.

148. 1.Villauoua. Villanova.

16.eperepretium operæpretium.

29.ducesetur duceretur.

149. 20 Hyronimus Hieronymus.

23.celesti cælesti. verbo verba.

31.antem autem.

150. 22.Eliat Elias.

23 raptut raptus.

26 herent hærent.

151. 16.sonniarunt somniarunt.

19.immagine imagine.

26.greco græco.

155. 10.marab mirab.

13.hebrea Hebræa.

19.textaretur testaretur.

24.malestate maiestate.

160. 27.euangelistarum Euangelistarum

161. 27.predicem prædicem.

162. 5.Itngua lingua.

Pag. verf. error Sic corrigendus.

Pag. 162. verf. 5. Scibę Scribæ.

12. Chrftum Christum.

15. posfnns possunt.

163. 1. quia quia.

164. 3. In in.

165. 13. focietatem societatem.

15. heres hæres.

16. testameuti testamenti.

167. 18. incedit incedit.

168. 1. remiffus remissus.

170. 21. Eliaa Elias.

171. 18. oportes oportet.

174. 22. inueni.ur inuenitur.

175. 2. iwin.

15. Arcangelorum Archangelorum.

176. fi si.

27. diuerfis diuersis.

vlncircumuallationis circumuallationis.

181. tit. ann. 20. Caudium Gaudium,

30. Ioanues Ioannes.

183. in marg. differnnt differunt.

184. 12. frouutur fruuntur.

187. 21. afpieere aspicere.

192. 11. illam illam.

193. 20. vetba verba.

196. 17. numqnam numquam.

196. 24. Ama amat.

25. uefeit nescit.

198. 13. filiunr filium.

200. 2. qni qui.

202. 18. mertyres martyres.

203. 13. mulie. mulier.

204. 12. iu in.

209. 3. Nemo Non.

27. Mefopotania Mesopotamia.

210. 14. Virgiuem Virginem.

211. 7. ttransfiguratione transfiguratione.

213. 9. hereditatis hæreditatis.

Pag. verſ. error. Sic corrigendus.

Pag.217.verſ.8.monre monte.

28.deſiciat deficiat.

219. 1.gregarius deſpiciente. gregarius, deſpiciente.

222. 16.ſublius ſublimius.

17.firma firma.

22.ſidit fidit.

228. 16.rucerdom interdum.

229. 24.rapreſentet,repræſentet.

232. 28.Paternttate.Paternitate.

233. 8.repreſentaret repræſentaret.

Ibid.ſilius filius.

236. 17.vocabitur vocabitur.

237. 15.homini homini.

20.Ægipto Ægypto.

238. 10. caduut cadunt.

29.ſnis ſuis.

vlt.exprimere exprimere.

239. In marg.Gregarios Gregorius.

240. 1.aliquie aliquid.

27. oſtendtſti oſtendiſti.

241. 3. Spritus Spiritus.

4. Sauctus Sanctus.

242. 1.derclictis derelictis.

243. 4. interpretatione interpretatione.

17. mone monte.

18.teuadens euadens.

fcernens ſpernens.

245. 1 iudignati indignati.

6. nuuis nubis.

247. 3.Nyſſenuus Nyſſenus.

24. iunumerabiles innumerabiles.

26.meriio merito.

248. 20. quid quia.

In marg.huins huius.

249. 1.voſtra veſtra.

5.Chriſti Chriſti.

7. incarcere in carcere.

18.licet licet.

Pag.	vers.	error	Sic corrigendus.
250.	26.	virtutum	virtutum.
253.	5.	qnæ	quæ
254.	5.	Hebræo,rum	Hebræorum.
	8.	Eegiptiorum	Ægyptiorum.
256.	5.	fieret	fieret.
	10.	föliditata	folidata.
257.	10.	manns	manus.
260.	5.	præ ipuè	præcipuè.
	8.	anritum	auritum.
267.	15.	recenferc	recenfere.
	18.	corport	corpore.
268.	1.	fcmita	femita.
269.	11.	incelligis	intelligis.
	12.	andiftis	audiftis.
270.	1.	tcftimonium	teftimonium.
272.	7.	profiterentur	profiterentur.
273.	10.	martirio	martyrio.
	16.	pleniťndo	plenitudo.
	23.	manducab,s	manducabis.
275.	20.	fidelibus	fidelibus.
	21.	g.anis	granis.
276.	26.	feeit	fecit.
277.	11.	Chrtfti	Chrifti.
	18.	eerum	eorum.
	19.	fpercr	fperet.
	20	Eccelefia	Ecclefia.
	vlt.	rectut	rectus.
278.	23.	diniduum	diuiduum.
280.	6.	Nemiui	Nemini.
	9.	filentiiini	filentium.
281.	19.	fllium	filium.
282.	2.	fudibrium	ludibrium.
	12.	Sctibis	Scribis.
286.	vlt.	oenlus	oculus.
289.	29.	extafim	ecftasim.
298.	17.	loquen m	loquentem.
302.	4.	vsdeatur	videatur.
308.	8.	aceipiens	accipiens.
310.	4.	percipère	percipere.

Digitized by Google

- 1- 6 - 3 -



Digitized by Google

